This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

294 e.91

600084490V

294 e. 91

= C. Lat. C. 815.

= 1C. Lat. C 618

M. TULLII CICERONIS

ARTIS RHETORICAE

LIBRI DUO

RECENSUIT

ANDREAS WEIDNER.

BEROLINI,
APUD WEIDMANNOS.
MDCCCLXXVIII.

294. e. 91.
= c. rot. 2. 15.

PROLEGOMENA.

I.

Quem ad modum illud Ciceronis ipsius testimonio constat, artem rhetoricam ab eo adulescentulo esse conscriptam, ita quo eam anno scribere instituerit quove partem quam habemus absolutam in publicum emiserit, prorsus incertum relinquitur.[1]) Quas res tametsi nobis adcurate iam definire non licet, tamen ex eis, quae de puerili disciplina a Cicerone in Bruto prodita sunt, coniectura nos prope adsequi posse putamus.

Annis enim 90/89 a. Chr. non modo forenses oratores acerrimo cum studio se audisse, sed etiam cotidie scribentem et legentem commentatum esse profitetur.[2]) Quare quoniam artem rhetoricam ipse ait ex commentariis suis sibi excidisse, illo ipso tempore commentarios quidem a Cicerone inchoari coeptos esse probabile est. Strenui enim adulescentes, qui vehementi ducantur litterarum amore, studiis ita incumbere solent, ut non modo magistrorum dictata domum referre memoriaeque mandare velint, sed commentando etiam et scribendo praecepta aliena sua mente considerare ac denuo quasi anquirere cognitaque in ordinem digerere consuerint.

---

1) Cic. de Or. I 5: *quoniam quae pueris aut adulescentulis nobis ex commentariolis nostris incohata ac rudia exciderunt, vix videntur* (alii: *sunt*) *hac aetate digna et hoc usu, quem ex causis quas diximus tot tantisque consecuti sumus;* ibidemque I 23: *repetamque non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum.* Similiter Antonius de suo libello I 94.

2) Brut. 305: *reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar cotidieque et scribens et legens et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram.*

Quodsi Cicero annis illis 90/89 animum ad artem condendam applicavit, hoc non ideo fecisse videtur, ut librum celeriter confectum evulgaret, sed ut rhetoricam doctrinam ipse sibi latino sermone inlustraret. Proximo autem anno, 88 a. Chr., cum Philo princeps Academicorum Romam venisset, ardentius etiam quam antea philosophiae studiis adulescens XVIII fere annorum se dedidit.[3]) Atque cum idem in rhetorica arte nobile quoddam Academicae rationis praeceptum magno cum ardore commendet tamquam vitae communis firmamentum, conligere inde licet, rhetoricam illam non antea a Cicerone neque conpositam neque editam esse, quam a Philone imbutus fuerit Academicorum doctrina, i. e. non ante annos 88—87.[4])

Huc accedit, quod iuvenili quodam fervore admonet, ut ad inventionem argumenti argumentationis exornatio partiumque distributio adiungatur[5]), deinceps vero inductionis inlustrandae causa simplex quidam Aeschinis Socratici sermo refertur[6]), tum de ratiocinationis partibus magno cum studio adversus rhetoricos disputatur[7]), denique partitionis rationem philosophiae vel dialecticae quibusdam praeceptis a se auctam esse ipse gloriatur.[8])

Haec si omnia consideramus, quantopere discrepent cum vulgari Romanorum artis rhetoricae illo tempore institutione, quam Cornificii quidem quattuor libris cognitam habemus, Ciceronis artem concedere debemus non modo Academicorum sed etiam Stoicorum rationis aliquam prae se ferre speciem. Quae

---

3) Brut. 306: *eodemque tempore cum princeps Academiae Philo domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus.*

4) Cf. Inv. II 10: *dubitanter unum quidque dicemus, ne, dum parvulum consequamur, ut satis haec commode perscripsisse videamur, illud amittamus, quod maximum est, ut ne cui rei temere atque adroganter adsenserimus. Verum hoc quidem nos et in hoc tempore et in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur.*

5) I 50.

6) I 51.

7) I 57—76.

8) I 33: *sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tanto opere pertineant, quam versantur in philosophia, ex quibus haec ipsa transtulimus, quae convenire viderentur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus.* Omnino diligenti quodam philosophiae studio Ciceronis ars differt a Cornificii ratione.

cum ita sint, triennio illo (668—670 a. u., 86—84 a. Chr.), quo urbs erat sine armis, cum Diodotus Stoicus apud Ciceronem habitaret, artem rhetoricam ex commentariis coeptam componi et magna ex parte perfectam esse arbitror.[9]) Atque intra annos 84/83 priores duo libros, qui sunt de inventione, editos etiam esse separatim veri simile est.[10]) Nam anno post (82 a. Chr.), cum ad causas et privatas et publicas adire coepisset[11]), factum videtur, ut orator adulescens et forensibus negotiis districtus et vivae eloquentiae laude adlectus pristinum consilium universae artis scribendae abiceret. Iam cum Sex. Roscium defendisset, animum illius occupavit primum dicendi consuetudinis commutatio, deinde iter Asiaticum.[12]) Romam vero reversus (77) omne studium omnemque operam in ambitionem videlicet et in clientum defensiones contulit, ut ad vulgaris rhetoricae studium nec otium suppeteret et animus deesset.[13]) Nam illud iuvenile umbratilis doctrinae studium iam ab eo tempore defervisse videtur, quo in sole ac pulvere versari et cum Hortensio de eloquentiae gloria certare instituerat.[14])

Ita factum est, ut, cum universam artem rhetoricam perscribere suscepisset, nihil nisi duo libri, quibus artis initia continerentur, posteritati relinquerentur. Nam illud dubitari non

---

9) Brut. 308: *triennium fere fuit urbs sine armis. Ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoico Diodoto, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar. Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram [tamen] deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset.*

10) Cf. Drumann, hist. rom. V 229. Fr. Bader, de Ciceronis rhetoricorum libris, p. 30. Schuetz p. XX nullis causis subiectis existimat, libros de Inventione scriptos videri intra annum aetatis Cic. XVIII et XXI, h. e. intra annum u. c. 664 et 667.

11) Brut. 311: *tumultus interim et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae Carbonis Antistii, reditus Cottae Curionis Crassi Lentulorum Pompei, leges et iudicia constituta, recuperata res publica. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus* etc.

12) Brut. 313 sqq.

13) Brut. 318: *unum igitur annum, cum ex Asia redissemus, causas nobiles egimus, cum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius.*

14) Brut. 317.

potest, quin pluribus libris omnes artis partes absolvere Cicero adulescens in animo habuerit.[15]) Nec ambigitur, quin Victorinus artis Ciceronianae non plures libros noverit quam duo illos, qui ad nostram memoriam pervenerunt. Et ubicumque Quintilianus aut verba aut doctrinam Tullianae artis commemoravit, haec in his libris etiam nunc inveniuntur.[16]) Unus locus Quintiliani (III 3, 6) superest, quo aliquid ex Ciceronis arte sumptum videtur, quod in nostris exemplaribus frustra requiritur: *et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inventioni, mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum, ut pronuntiationem quoque vel plurimum ex eo mutuari putem.*

Huius quidem, quam Quintilianus dicit, rationis nec in ipsius Ciceronis arte (I 9) nec apud Cornificium ullum exstat vestigium. Quam ob rem aut veri simile est menti illius obversatum esse Ciceronis Or. § 44: *nam et invenire et iudicare quid dicas* (cf. de Or. II 120), aut sumere debemus in Inventione integram Ciceronis doctrinam ad Cornificii auctoritatem depravatam et mutatam esse. Sed sive erravit Quintiliani memoria, sive vetusta Ciceronis ratio tempore corrupta est, illud utique negari non potest, si subiecerit Cicero inventioni iudicium, hoc eum facere non potuisse nisi in priore rhetoricae libro. Quare ex Quintiliano quoque conligere oportet, Ciceronem artis suae tantum modo duo libros reliquisse.

II.

Quaeritur deinceps, quo Cicero nomine in titulis librorum, quos de inventione reliquit, usus videatur. Atque de Inventione hos libros non inscriptos fuisse, hoc iam dudum animadvertit Gerh. Vossius (*de nat. et constitutione rhetoricae* c. 13), cum et ipsius Ciceronis consilium, qui de universa arte rhetorica scripturus fuerit, et Quintilianum ac Priscianum huic rationi repugnare videret. Quintilianus quidem aperte adversatur, cum (III 14, 4) haec tradit: *cum M. Tullius etiam in ipsis librorum, quos hac de re primum scripserat, titulis graeco nomine utatur.*

---

15) Cf. I 9. II 4. 178. Quid quod etiam de elocutione scribere in animo habuerat, cf. I 49. 50.

16) Hanc quaestionem pertractavit Schuetz p. XLV—LVII.

Hinc apparet illam artem graeco aliquo nomine a Cicerone inscriptam fuisse. Ac plerique iam cum ex deteriorum librorum subscriptionibus tum ex disertis scilicet Quintiliani et Prisciani testimoniis hoc tamquam certum et indubitatum sibi sumpserunt, a Cicerone eos libros, quos vulgo de Inventione appellent, inscriptos fuisse nomine Rhetoricorum.

Sed nec deteriorum codicum nec vero Prisciani multum valere videtur auctoritas, quia Cicero ipse in his libris rhetoricorum nomine omnino non utitur.[1]) Quintilianus autem saepius ille quidem dixit *in Rhetoricis* (III 11, 10; III 11, 18; II 15, 6), sed cum idem dicat *in libris rhetoricis* (III 6, 49) *et rhetoricos suos* (III 1, 20), illos ablativos potius ad masculinum referendos esse quam ad neutrum consentaneum est. Quod confirmatur etiam ex eo, quod idem Quintilianus dixit III 5, 14 *ex Ciceronis rhetorico primo*, III 6, 58 *in primo Ciceronis rhetorico*, eo scilicet modo, quo dicebatur *in Ennii annali primo* et fortasse *T. Livi ab urbe condita annalis primus* etc.[2])

Quodsi Ciceronis artem breviter Quintilianus rhetoricos vel rhetoricos libros nominavit, non continuo inde efficitur, hanc integram aut plenam librorum inscriptionem fuisse. Namque idem brevitatis studium Fabium adduxit, ut libros de Oratore diceret oratorios.[3])

Praeterea haec mihi Quintiliani (II 17, 2) memorabilia videntur: *transeamus igitur ad eam quaestionem, quae sequitur, an rhetorice ars sit. Quod quidem adeo ex iis, qui praecepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos de arte rhetorica, Cicero vero eam, quae rhetorice vocetur, esse artificiosam eloquentiam dicat* (I 6). Hoc enim loco Quintilianus Ciceronem adeo a ceteris artium scriptoribus eorumque more in libris inscribendis non segregavit, ut illorum

---

1) In ceteris etiam libris Cicero pluralem neutrius semel videtur admisisse, de Fato 4, ubi Hirtius haec dixit: *sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt nota teque in iis et audivimus saepe et audiemus, ponere aliquid, ad quod audiam, volo.* Ibique *rhetoricis* significari declamationes latinas Ciceronis, quas cum nobilissimis tum adulescentulis instituerat, vel oratorias exercitationes perspicuum opinor est. Cf. Lindemann ad Burm. praef. p. XIV n.

2) Cf. I. Vahleni Quaestt. Enn. p. XIX.

3) Quintil. III 1, 20.

et ipsius Ciceronis iudicium, quod in titulis librorum appareret, huius etiam definitione firmatum et distinctum esse dicat: Ciceronem non modo ut ceteros libros suos artem rhetoricam inscripsisse, sed insuper definitione sua rhetoricen artem esse conprobasse.

Accedit quod Cicero ipse pluribus locis, quos in notis criticis suppeditavimus, aperte et expresse dicit, artem rhetoricam se scripturum esse.[4])

Cum igitur Inventionis titulum falsum esse, Quintiliani autem testimonio probatum viderem esse graeco nomine Ciceronem usum, rhetoricorum vero nominis nullam usquam auctoritatem esse mihi persuasissem, praetermittendum non esse putavi, quin vulgarem et usu tritam inscribendi rationem ad ipsius Ciceronis voluntatem mutarem. Nec hoc in genere significationem ipsorum scriptorum neglegendam esse, inlustri nuper exemplo edocti sumus. Nam cum librorum de natura deorum archetypus inscriptionem nescio quo casu mutatam traderet, ut iam de deorum natura potius quam de natura deorum libri inscribendi viderentur, I. Vahlen ex plurimis Ciceronis locis evicit, Ciceronem ipsum illos libros de natura deorum, non de deorum natura inscriptos voluisse.[5]) Itemque ex ipsius Ciceronis testimoniis elucet rhetoricos eum libros non rhetorica, quo nomine ipse nusquam utitur, sed artem rhetoricam inscripsisse.

III.

Quaerendum porro videtur, quae inter Ciceronis et Cornificii artem invicem ratio intercedat. Hanc rem qui nostra aetate tractarunt, Lud. Kayser et Fr. Bader, cum utriusque auctoris subtiliter doctrinae rationem conparārent, externa mihi parum

---

4) Praeterea cf. Cassiodorii Rhet. 10: *haec licet Cicero, latinae eloquentiae lumen eximium, per varia volumina copiose nimis et diligenter effuderit et in arte rhetorica duobus libris videatur amplexus, quorum commenta a Mario Victorino composita in bibliotheca mea vobis reliquisse cognoscor* etc. Idemque paulo post dixit: *libros autem duo Ciceronis de arte rhetorica et Quintiliani XII institutionum iudicavimus esse iungendos.* Eundemque titulum testatur Iul. Victor 429, 12.

5) Zeitschrift für die österreichischen Gymn. XXIV 241.

curasse videntur argumenta.[1]) At illa via nimis lubrica est. Nam in communi rhetorum materia multum ac diu scholis tractata fieri non poterat, quin duo homines docti, etsi alter alterum ignoraret, tamen saepenumero idem paene isdem verbis praeciperent. Graecorum artes permultae tum exstabant, Graecorum copiae omnium fere usui expositae et paratae erant. Et Cicero a Quintiliano ex scholis artem excepisse perhibetur, quocum facit Cicero ipse, cum eam ex commentariis sibi excidisse confitetur.[2]) Cornificius autem quantumvis nugas et subtilitates Graecorum magistrorum contempserit, ipse tamen rhetorum scholas frequentaverat, quod probabile esset, vel si doctor ille, quem appellavit, Latinus potius quam Graecus rhetor esset. Sed Latini rhetores pauci illa aetate et contempti erant.[3])

Suetonius quidem unum L. Plotium memoravit, ad quem studiosissimi cuiusque tum fieret concursus, quem tamen audire Cicero sibi non licuisse doluerit.[4])

Multo saepius fiebat, ut grammatici rhetoricam etiam docerent et commentarios de hac arte cum discipulis communicarent. Quae institutio adeo tum vigebat, ut quidam e grammatici ludo statim transierint in forum atque in numerum praestantissimorum patronorum recepti sint.[5])

Grammatici illi latini, qui Romanam iuventutem ad dicendi facultatem erudire vellent, hoc profecto facere non potuerunt, nisi et Graecorum praecepta et definitiones latino sermone explicarent et doctrinae obscuritatem inlustrarent exemplis latinis. Ita facile intellegitur, quem ad modum evenire potuerit, ut multis locis Cicero et Cornificius prorsus eadem exempla poetarum latinorum proponerent. Ubi primum enim grammaticorum scholae latina coeperunt exempla usurpare, brevi tempore consensus quidam

1) Post Schuetzium in cap. I Prolegg. Cic. Opp. Rhet. Lips. 1804 hanc rem subtilius tractavit in Gelehrte Anzeigen der k. bayr. Akad. der Wiss. vol. XXXIV 1 Nr. 59—62 L. Kayser, deinde Fr. Bader in dissertatione inaug. de Ciceronis Rhetoricorum libris, Griphiswaldiae 1869.

2) Cf. I 1 et Quint. III 1, 20: *rhetoricos suos ipse adulescenti sibi elapsos dixit.* III 6, 59: *sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adulescens deduxerat, scholae, et si qua est in iis culpa, tradentis est.*

3) Sueton. de grammaticis et rhetoribus 25 (ed. Reifferscheid).

4) Sueton. l. l. 26.

5) Sueton. l. l. 4.

exemplorum invaluit et in dies crevit.[6]) Idemque Graecorum rhetoribus, quorum libri ad nos pervenerunt, idem grammaticis nostris in linguae latinae traditione usu venire videmus, quorum artes, quamquam multi multorum libros, cum suum quisque scriberet, non adhibuerunt, omnes tamen plura similia atque etiam congrua quam discrepantia aut diversa habent. Et frequentissima in scholis fuisse Ciceronis adulescentia non solum poetarum sed oratorum etiam latinorum exempla, huius rei locupletissimus auctor est ipse Cornificius.[7]) Hanc latine praecipiendi rationem videtur adiuvisse M. Antonii quamvis exilis de ratione dicendi libellus, id quod perspicitur ex eo exemplo, quod Quintilianus III 6, 45 attulit: *tres fecit et M. Antonius his quidem verbis: paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum.* In his ne minimum quidem Graecae doctrinae vestigium cernitur. Antonium vero ipsum omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum suis hominibus visum esse Cicero ait in prooemio alterius de oratore libri.

Ex eis quae adhuc disputavimus, primum apparet anno fere 88 artis rhetoricae et rationem et exempla communia praesto fuisse omnibus etiam latino sermone expressa; deinde rem arduam ac periculosam esse, ex conparatione doctrinae duorum rhetorum constitui, uter utrum adhibuerit et in usum converterit.[8]) Cicero et Cornificius omnino multa tradunt similiter, sed

---

6) Utrumque scriptorem, Ciceronem (I 95) et Cornificium (II 35) perperam de Plautino loco (Trin. I 1, 1 sq.) iudicasse, recte intellexit Schuetz, praef. ad Cic. Rhet. p. XIV sq.; sed quid inde efficitur? Credo utrumque ex scholis eandem eamque falsam explicationem eiusdem exempli traditam accepisse! Idemque de ceteris opinor exemplis valet, quae ab utroque adlata videmus.

7) Cornif. IV 2: *etenim cum possimus ab Ennio sumere aut a Graccho ponere exemplum*; IV 7: *adlatis igitur exemplis a Catone a Gracchis a Laelio a Scipione Galba Porcina Crasso Antonio ceteris, item sumptis aliis a poetis et historiarum scriptoribus necesse erit eum qui discet putare ab omnibus omnia, ab uno pauca vix potuisse sumi.* Omnino Cornificius, *cum artis inventionem Graecorum probasset, exemplorum rationem secutus non esset* (IV 10), suam rationem, quod exempla elocutionis ipse fingere maluisset, tam acriter et copiose non defendisset, nisi latina tum exempla in puerili institutione usu iam trita et nota essent.

8) Etiamsi haud pauca apud Ciceronem et Cornificium non solum re sed verbis etiam congruunt, cum uterque sua ex scholis in commen-

Kayserus ipse confitetur maximam illorum esse differentiam.[9]) Baderus quidem existimavit, Cornificium Ciceroni semper ante oculos fuisse, etiam iis locis, ubi alios artis scriptores secutus videatur, sed hoc mihi celerius quam verius iudicatum videtur.[10]) Eadem quidem ratione demonstrari potest, Zumptio semper ante oculos fuisse artem Madvigianam. Quae cum ita sint, praestat ad externa redire testimonia.

Ac supra nobis demonstrasse videmur, Ciceronem annis fere 84/83 duo libros artis rhetoricae pertexuisse, reliquas operis partes forensibus negotiis itineribusque occupatum inperfectas reliquisse. Quos libros sive illo ipso tempore exire sive posthac elabi passus est, posteriore quidem tempore ullam huic rei a Cicerone operam inpensam esse, haudquaquam probabile est. Sequitur Ciceronem ne potuisse quidem adhibere Cornificium, si huius artem post annos 84/83 demum emissam esse conprobari potest. Hoc autem mirum est iam dudum illud quidem observatum esse, sed tamen a plerisque, ut videtur, neglectum incuria iacere et oblivione.[11])

Etenim apud Cornificium (IV 68) hoc legitur brevitatis exemplum: *modo consul erat, cum dominus dicitur primus civitatis; tum proficiscitur in Asiam, deinde hostis est dictus, post imperator et populi magister, postremo iterum factus est consul.*[12])

---

tarios et ex commentariis in libros regerere consuerit, ideo non sequitur alterius libros ab altero excerptos esse. Ac de Cicerone testem habemus Quintilianum III 6, 59, Cornificii ipsius luculentum est testimonium I 18, et insuper scholastica illa exempla Aiacis Ulixis Orestis etc.

9) Münch. Gel. Anz. XXXIV 475 sqq. Cornif. ed. p. IX sq.

10) Bader l. l. p. 17 sq.

11) Scilicet nimis leviter hanc rem absolverat Schuetz p. XXII his verbis: *Quae omnia in Sullam quadrare nemo negabit, qui meminerit Sullam ad bellum Mithridaticum in Asiam profectum esse a. u.* 666, *post sequenti anno a Marianis hostem et exulem iudicatum, ab exercitu autem imperatorem salutatum a. u.* 674 *secundum consulatum gessisse. Sed ne huic quidem coniecturae multum tribuo* — quia videlicet ipsius coniecturae obstabat! *Sufficit nobis (?) ex eo loco, quo Sulpicii caedes memoratur, certo colligi, libros ad Herennium scriptos esse post a. u.* 665, *nihilque in his libris occurrere quod impediat (!!), quominus eos a.* 666 *exaratos esse statuamus.* Quasi vero Sullanum illud exemplum impedimento non esset, si Schuetzio ei non multum tribuere liberet! Et tamen Kayser (Münch. Anz. 503) sic iudicat, temporum rationem et libri Cornificiani aetatem a Schuetzio vere demonstratam esse!

12) De hoc loco constituendo et explicando, quoniam alii eum ad C. Marium pertinere putaverunt, pluribus infra in excursu disseremus.

Hoc exemplo nemo est, quantum scio, qui dubitet, quin Sullae Felicis varia fortuna exornetur ac victoria. Quod si est, librum IV Cornificii non ante annum 80 a. Chr. editum esse apparet; veri similius autem est aliquot annis post vulgatum esse ac nescio an post excessum formidolosi illius hominis, quia Cornificius Marianarum partium sectator animos et iras illius timere debuerat.[13])

Praeterea Sulpiciae leges de restituendis exsulibus (a. 88) II 45 celebrantur: *velut Sulpicius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, idem posterius inmutata voluntate, cum eadem lege ferret, alia se ferre diceret propter nominum commutationem, nam non exules sed vi eiectos se reducere aiebat.*

Adde quod I 25 non modo P. Sulpicii mors, sed causa etiam publica illinc orta memoratur.

At Cornificius si I et II libros annis fere 87/86 ediderat, Cicero eos adhibere potuisse videtur! At multo probabilius est, si Cornificius, cum Mariani in urbe dominarentur, libros illos edidisset, Marianae causae amicum multo audacius locuturum fuisse. Nec quae modo denique gesta erant, veteres statim in libros aut scholas transferre solebant.

Quartum certe Cornificii librum evulgata iam Ciceronis arte editum esse ne Kayserus quidem negare potuit.[14]) Itaque ne opinione sua destitueretur, illud sibi finxit, fieri videlicet potuisse, ut opus inchoatum tarde a Cornificio ad umbilicum adduceretur: aliquot annos nimirum defluxisse, antequam eo perveniret; maturius ne opus conficeretur, difficultatem scriptionis Romanis tum non satis usitatae inpedimento fuisse.[15])

At hoc quidem est res certas amovere incertis commentis, quae facile diluuntur ipsius Cornificii professione, cum III 1: *de*

---

13) Kayser ad II 45 (p. 73, 12): *audis hominem Marianarum partium.*

14) Cornif. praef. p. XI: *neque incredibile videtur Inventionem iam evolgatam fuisse quarto nostri libro nondum edito.*

15) Quantopere Kayserus se torqueat, ut testimonium iniquum demoveatur, vide vetera illius commenta in Münch. Gel. Anz. p. 504: *Es bleibt nichts übrig als die Voraussetzung, eine zweite Auflage oder wenigstens Nachlieferung von Exemplaren sei einige Zeit nach dem Erscheinen des Buches nöthig geworden, in welchen alsdann später Vorgefallenes zu einem Beispiel verwandt werden konnte.*

elocutione in quarto libro scribere maluimus, quem, ut arbitror, tibi librum celeriter absolutum mittemus, tum I 27: *verum tamen maturabimus et, quod negotio deminutum fuerit, exaequabimus industria, ut pro tuo in nos officio, nostro in te studio munus hoc adcumulatissime tuae largiamur voluntati.* Nec in ceteris prooemiis aut epilogis quicquam invenitur, quo mora aut intermissio operis incepti excusari videatur. Immo erudire se velle C. Herennium suis libris ad dicendi facultatem identidem iactat. Quod quo modo consequi potuisset, si multorum annorum spatio interiecto esurienti discipulo post diuturnam intermissionem frusta quaedam praeberet? Multo igitur veri similius est, Cornificium breviore spatio duorum triumve annorum promissum C. Herennio persolvisse, et libros suos edidisse, cum Ciceronis libri doctorum iam manibus tenerentur.

Haec quae disputavimus alio fundantur et confirmantur externo argumento, quod mihi firmissimum et paene invictum videtur.

Quintilianus enim libro III 1, 8—18 primo Graecorum dicendi praeceptorum memoriam breviter adumbravit temporumque rationem accurate habuit, deinceps (§ 19) ita pergit ad Romanam historiam transiens: *Romanorum primus, quantum ego quidem sciam, condidit aliqua in hanc materiam M. Cato ille censorius, post M. Antonius inchoavit: nam hoc solum opus eius atque id ipsum inperfectum manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam, si quo loco res poscet, non omittam. Praecipuum vero lumen sicut eloquentiae ita praeceptis quoque eius dedit unicum apud nos specimen orandi docendique oratorias artes M. Tullius, post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adulescenti sibi elapsos diceret, et in oratoris haec minora quae plerumque desiderantur, sciens omisisset. Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, non nihil pater Gallio, adcuratius vero priores Gallione Celsus et Laenas et aetatis nostrae Verginius, Plinius, Tutilius.*

Atque hoc memorabili loco cum ex aliis tum ex verbis *priores Gallione* illud perspicuum et manifestum est, adcuratissime Quintilianum in dicendi auctorum enumeratione simul temporum et aetatum rationem secutum esse. Quodsi in hac historiae parte Ciceroni subiecit Cornificii nomen, hunc certe non ante Ciceronem sed post Ciceronem scripsisse significat atque adeo evidenter

aperit. Ita facile explicatur etiam, cur Quintilianus quartum ille quidem Cornificii librum de elocutione saepius laudaverit, reliquas operis partes commemorare aut extollere noluerit, quibus quidem in libris vulgaris disciplina latinae rhetoricae contineri videretur. Quod aliter esset, si non modo vetera et nota repetisset, sed novis etiam inventis Ciceroni auctor ad imitandum exstitisset. Quare nec malignum silentium in Quintiliano nec in Cicerone obscuram obtrectationem reperire possum.[16])

Accedit aliud magis interius argumentum. Apud Ciceronem enim (I 16) haec inveniuntur: *huius constitutionis* (translativae) *Hermagoras inventor esse existimatur, non quo non usi sint ea veteres oratores saepe multi, sed quia non animadverterunt artis scriptores eam superiores nec rettulerunt in numerum; post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam inprudentia falli putamus, res enim perspicua est, quam invidia atque obtrectatione quadam inpediri.* Contra haec facile, si attenderis, subaudias disputantem Cornificium I 11, 18: causarum constitutiones *alii quattuor fecerunt; noster doctor tris putavit esse, non ut de illorum quidquam detraheret inventione, sed ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito.*

His duobus iudiciis alterum altero respici et refutari, Kaysero facile concedimus, illud autem pernegamus, Ciceronis verbis aperte reprehendi Cornificium.[17]) Nam utriusque loci sententias si subtilius examinaveris, utrum tandem ex duobus illis scriptoribus iuveniliter lacessere, utrum hanc calumniam quasi iniuriam inlatam graviter repellere et avertere putabimus? Ciceronis credo verbis manifesta continetur criminatio, Cornificii defensio et re-

16) Ita iudicavit immerito Kayser in praef. p. XIII, Münch. Gel. Anz. 502—503. Nec enim in statuum doctrina aut IV 5, 3, IV 2, 53, IV 2, 44, III 6, 13 Quintilianum oportuit nomine appellare Cornificium, nisi huius et principis et solius doctrinas aut reciperet aut inprobaret. Sed ut plures ante Cornificium (Quint. III 1, 19: *secuti minus celebres*), ita multi post eum dicendi auctores exstiterunt, qui multis in rebus cum eo consentiebant, multis vero locis etiam dissentiebant. Ciceronem autem de Or. II 10 aut etiam II 117, 130, 201(?), III 70, 75, 188, 209 Cornificium aut unum aliquem dicendi artificem tecte et maligne exagitare, nemo facile credet.

17) Kayser in praef. X: *his* (Inv. I 16) *aperte reprehenduntur verba Cornificii* (I 18).

cusatio. Quod si non casu aliquo, sed consilio ac ratione factum est, ut alter alterius calumniam refutaret, hinc quoque elucet primum etiam, non quartum solum Cornificii librum post Ciceronis artem rhetoricam conpositum exiisse. Ita evanuit sane opinio nostris hominibus nimis iucunda, quibus nihil gratius videtur esse, quam quantopere Cicero Cornificium expilaverit aut quam multa in hac fraude peccaverit quam copiosissime exponere.

At proferent contra adversarii unum gravissimum testimonium ipsius Cornificii. Is enim (I 16) gloriatur haec: *adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuatione nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus.* Hac autem divisione Cicero utitur: ergo Cornificii inventum rapuit et furatus est! Quid autem si uterque eodem fere tempore idem in artificium parvolum sane inciderat? Quid si Cornificii doctor ille, cuius auctoritatem tuetur I 18, eandem temporum distributionem scholis tradiderat ab eoque uterque sapientiam suam acceperat? Denique fieri potuit, ut Cornificius inventum suum, alio ante loco velut in circulis sermonibusque expositum, cum ab alio praereptum videret, hoc tamquam suum litteris sibi vindicaret. Illud quidem ex hac una difficultate, quam satis explicare non licet, concludere non ausim contra apertiora testimonia, Ciceroni cum scriberet ante oculos fuisse Cornificium.[18]) Extremum hoc dico: nihil inpedit quominus sic statuamus, Ciceronem non minus quam Cornificium veritatis et probitatis studiosum fuisse. Ille quidem ingenue confitetur, commodissima quaeque ex variis ingeniis se excerpsisse et excellentissima libasse[19]), sed cum Hermagoram saepius appellaverit[20]) itemque extulerit Aristotelem, cum huius artium *συναγωγὴν* laudaverit eiusdemque de arte rhetorica taceat[21]), Iso-

18) Schuetzii tamen et Kayseri disputationes hoc uno loco nituntur, cf. huius praef. p. XI.

19) Cic. II 4. Hunc locum si contuleris cum Cornif. IV 5: *vide ne facias inpudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum laboribus librare laudem,* facile eo inclinaveris ut his verbis Ciceronis scribendi rationem exprobrari statuas, nisi huiusmodi conjecturae nimis incertae viderentur.

20) I 8, 12, 16, 97. Cf. Quint. III 11, 18.

21) I 7, 61. II 6, 7. Hoc enim Badero (p. 5) facile damus, Ciceronem tum, cum artem suam scripserit, Aristotelis rhetoricam pertractatam non habuisse, sed hoc ne Cicero quidem promisit, tantum modo *τὴν τῶν τεχνῶν συναγωγὴν* perlegisse profitetur.

cratis autem artem umquam vidisse neget [22]), idem Cornificii nomen silentio praetermittit, quod facere non potuisset, si illius artem tum novisset et tam inpudenter, quam plerique putant, conpilasset. Nec enim Schuetzio quisquam concedet, Ciceroni satis fuisse profiteri, quod dixerit II 5: *nobis omnium, quicumque fuerunt ab ultimo principio huius praeceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit.*

22) II 7.

IV.

EXCURSUS.

DE CORNIF. IV 68.

Cornificii alterum brevitatis exemplum (IV 68) cum adhibebam, ut quartum illius librum non ante Ciceronis artem scriptum esse ostenderem, interim de hoc exemplo ab aliis prorsus aliter iudicatum esse nesciebam. Et Kroehnerti quidem dissertatione, quae prodiit Regimonti 1873, etiam nunc careo; at in manibus est H. Jordani sententia, quam ille in Herm. vol. VIII 77 sq. exposuit, et H. Bochmanni disputatio elegantissime scripta, Zwiccaviae a. 1875 emissa, ut facile inde conligere possim, quibus causis ei nitantur, qui, ut Kroehnert Jordan Bochmann, non ad L. Sullam sed ad C. Marium illud brevitatis exemplum pertinere existiment.

Et commodissimum videtur primum illam rerum explicationem repetere, quam post Kroehnertum instituit Bochmann. „Tradit enim, inquit, eadem Cornificius, quae e rerum scriptoribus nemo non penitus pernovit, Marium, cum auctoritatem sibi comparasset, primum *quotannis* — sic enim emendavit Jordan —, i. e. post consulatum anni 107 inde ab anno 104 usque ad annum 100, consulem factum esse, deinde usque ad annum 98, dum Q. Caecilius Metellus Numidicus in exilio esset, primum habitum civitatis, tum, ne redeuntem videret inimicum, in Asiam, i. e. Cappadociam Ciliciamque, belli Mithridatici movendi causa profectum (Plut. Mar. 31, Cic. ep. ad Brut. I 5, 3), post L. Cornelio Sulla Q. Pompeio Rufo consulibus simul cum sociis hostem patriae iudicatum, denique Cinna consule *exercitum invenisse imperatorem* (Flor. II 21, 11) septimumque adeptum esse consulatum.“

Haec rerum expositio quantopere vacillet, nunc non quaerimus, sed quoniam Jordani nititur coniectura, qua ille textum corruptum emendasse sibi visus est, ad hunc potius disputationem convertemus.

Jordanus igitur vetustissimis libris Cornificii exemplum sic traditum esse arbitratur: *item: modo consul quodam is deinde primus erat civitatis proficiscitur in Asiam. deinde hostis est dictus. post imperator et populorum factus est consul.* Sed Virceburgensis liber omnium antiquissimus hanc praebet scripturam: *idem: modo consul quod his dič primus civitatis tum* (hoc est in omnibus codd.) *proficiscitur* etc. Nec ista discrepantia magna est. Nam *idem* et *item*, *dič* et *deiñ* (= *deinde*) saepius in Virceburgensi permutantur; nec QVODHIC et QVODAIC multum differunt; memorabile vero est, quod non modo in Virceburgensi sed etiam in Bambergensi ceterisque alterius classis codicibus verbum *erat* desideratur. Quare cum Jordanus coniecit: *modo consul quotannis, deinde primus erat civitatis,* id opinor contra artem fecit, quod *erat* librorum tamquam auctoritate commendatum retinuit. Hoc enim secus est. Nec cuiquam illud licebit, nisi qui omnes alterius classis libros ex uno Virceburgensi fluxisse demonstraverit. Multo rectius fecit C. Halmius (in Analectis Tull. I 57, 4), cum *erat* in Parisino quoque abesse coniectaret. Quod si tamen in Parisinis libris invenitur, probabile est *erat* in margine libri archetypi adscriptum a librario Virceburgensis omissum, Parisini autem a librario in textum inlatum esse. Atqui si *erat* librorum fide destitutum est, veri similius est *dicitur,* quod est in V, quam *deinde,* quod ceteris libris traditur, verum et sanum esse.

Sed ut haec omnia omittamus, quid tandem novam illam atque inauditam dictionem *modo consul quotannis* significare putabimus? Quid? Fuitne per totam vitam quotannis C. Marius consul an exiguo temporis spatio tamen quotannis? In republica, cuius diuturnitas perpetua quaedam est, quotannis annuos consules creari dici potest; dici etiam potest de certa quadam et longiore annorum serie quotannis aliquid fieri, sed *consul quotannis* quid hoc sibi velit, equidem mente mihi informare non possum. Illud igitur et cogitari et dici possit, C. Marium per quinquennium quotannis consulem fuisse, at *consulem quotannis* aut *modo consulem quotannis* nec fuisse quemquam hominem nec futurum esse credo. Nam ipsum hoc *modo*, quo non plura temporis spatia aut omnino longum spatium sed circumscriptum aliquod et brevius temporis momentum indicatur, parum congruere videtur cum illo *consule quotannis.* Hic ipsius Jordani satis est exempla adferre. Nam Cornif. III 24: *deinde modo acriter, tum clementer* quid tan-

dem significat nisi hoc: *parumper acriter, tum clementer,* Sall. vero Iug. 93, 4: *paulum modo prona, deinde flexa atque aucta in altitudinem,* per particulam *modo* aut idem denotatur, aut *deinde* non uni *modo,* sed coniunctis vocabulis *paulum modo* opponitur.

Porro qui *modo quotannis* dicitur consul fuisse, eundem non facile *deinde* primum civitatis exstitisse praedicari potest. Nam qui non semel aut iterum sed quotannis summam in republica dignitatem obtinuerit, eum non deinceps factum esse sed illo ipso continuati honoris tempore primum iam dudum virum fuisse opinor. Ita oratio non ascenderet, sed descenderet nec descenderet ad contrarium quidpiam, sed ad id quod in priore enuntiato iam contineretur. Hoc quidem vel ex Cornif. IV 19, i. e. ex Laelii exemplo apparet superiorem illam laudem multo maiorem et excelsiorem fuisse. Sed ne ea quidem, quae deinceps sequuntur, cum Jordani opinione conciliari possunt. „Tum proficiscitur in Asiam, deinde hostis est dictus." Quasi vero C. Marius, cum etiamtum in Asia degeret, hostis esset dictus! Aliter quidem quem ad modum illa sententiarum coniunctio explicari possit, non video, nisi forte Cornificium hominem infantem fuisse putabimus. Nam ut omnia concedam, quae adversarii voluerint, quid quaeso erat, cur Cornificius privatum illud C. Marii iter commemoraret, nisi hoc cum maioribus illis rebus coniunctum videretur, quas deinceps efferret?

Denique Jordano extrema verba exempli Cornificiani ut emendaret non contigit. Quod quidem interpolationibus ea depravata esse arbitratur, magno opinor in errore est. Hoc certe non magis probabile est quam illud quod Kroehnert posuit, verba *primus erat civitatis* et *in Asiam proficiscitur* delenda et excerpenda esse. Nec enim additamentis sed potius lacunis aut litterarum permutationibus Cornificii exemplum obscuratum est. Iam Bochmanni artificiosam rerum explicationem propriis refutari argumentis necesse non videtur, quia ex eis, quae contra Jordanum ostendimus, stare illam non posse facile cuivis apparebit. At enim vero facilius est aliorum commenta diluere quam locum corruptum probabili coniectura sanare ac paene restituere.

Ac primum quidem certum mihi est *modo consulem* significare non posse *parumper consulem* deinde primum civitatis fuisse, sed *vixdum consulem factum* memorabile statim aliquid aut fecisse

aut fuisse. Iam duplicem quaestionis viam ingredi licet. Aut enim particulam *modo* subsequebatur *deinde*, in hunc modum: *modo consul. . ., deinde primus civitatis.* Hanc rationem qui sumet, conicere debebit in *quod his* vel *quodā is* latere, quod aut ad *consul* pertineat aut efficiat verbum finitum. Hac autem via equidem non video, quem ad modum coniectura progredi debeat, cum praesertim ita *modo — deinde* haud facile inter sese convenire videantur.

Restat autem alia via. Nam si verbum *erat*, id quod supra probabile esse docuimus, in archetypo a margine additum fuit, hoc verbum a scriptore libri Virceburgensis omissum a ceteris librariis iniquo loco inlatum esse credibile est. Nam multo aptius coniungitur illud verbum cum *modo*, qua ratione haec dictio evadat: *modo consul erat.*

Hanc inchoatam sententiam ita perficias, ut aliam sententiam, qua admiratio quaedam denotaretur, subiunctam fuisse statuas, hoc modo: *Modo consul erat, cum* (= *quom*) *iam dicitur primus civitatis.* Ita a minore dignatione ascenditur ad altiorem quandam hominis existimationem. Haec autem sententiarum conformatio certe non ipsius Cornificii verba omnia exprimit — *is* quidem syllaba redundat —, at si non prorsus a veritate abhorrere videbitur, illud brevitatis exemplum non in C. Marium, sed aut in L. Sullam aut in neutrum cadere consentaneum est. Nam C. Marius ex primo consulatu — nec alium quempiam intellegere licet — nec princeps in republica nec potentissimus civitatis homo evaserat, at contra L. Sulla primo consulatu vixdum abdicato si non princeps in republica, at potentissimus tamen in civitate aliquamdiu exstiterat. Nam cum Mariani ei obtrectarent inperiumque belli Mithridatici abrogassent, paulum modo profugus, deinde extemplo cum exercitu reversus non modo dignitatem illam cruento proelio sibi recuperavit, sed etiam dominationis cuiusdam ius ac paene regnum sibi vindicavit.

Et tamen hunc victorem et vindicem civilis dissensionis vix quisquam primum tum in civitate fuisse dixerit. Hac enim laude consiliorum magis prudentia quam vis armorum praedicatur, praeterea autem auctoritatis diuturnitas aut perpetuitas quaedam requiritur, non subita aut brevis dominatio. Relinquitur ergo, ut praeter *quom* in vestigiis litterarum, quae restant, substantivum nomen quaeratur, cui et *primus* et *civitatis* attribuantur. Quod

nomen quo facilius coniectura adsequamur, antea audiamus, quae de Sullae adversus urbem expeditione iudicavit Appianus. Is in bello civ. I 60 haec dixit: *καὶ στρατὸς πολιτῶν ὅδε πρῶτος ἐς τὴν πατρίδα ὡς πολεμίαν ἐσέβαλεν, οὐδ' ἔληξαν ἀπὸ τοῦδε αἱ στάσεις ἔτι κρινόμεναι στρατοπέδοις κτλ.*, I 63: *ὅπλοις τὴν πόλιν ὅδε πρῶτος καταλαβών τε καὶ δυνηθεὶς ἂν ἴσως ἤδη μοναρχεῖν.* Florus autem III 21, 7: *incendio viam fecit arcemque Capitolii, quae Poenos quoque, quae Gallos etiam Senonas evaserat, quasi captivam victor insedit.* Haec sufficiunt. Apparet enim Sullam primum visum esse civilis pugnae auctorem, Capitolii victorem, denique urbis vi armorum dominum. Hanc rem Cornificius Marianae causae sectator aut certe optimatium obtrectator non leni nomine videtur notasse. Vestigia autem optimi codicis haec sunt: QVODHIC = QVODNVC, qua scriptura compendiaria continetur: *quom dominus.* Tamquam lux igitur affulsit nobis haec sententiarum forma: *modo consul erat, cum dominus dicitur primus civitatis.* Et praesens tempus *dicitur* non modo acerbitati sententiae adcommodatum est, sed conveniens etiam et congruens est praesenti tempori subiuncto: *tum* (= *tamen*?) *proficiscitur* etc. Atque haec in Asiam profectio ut parum profecto in privatum C. Marii *in Cappadociam* iter, ita aptissime quadrat ad Sullam, cf. App. b. c. I 64: *οὐ πολὺ δ' ἐπιμείνας ἐς Καππάδοκην ἐπὶ τὸν στρατὸν κἀκεῖθεν ἐς τὴν Ἀσίαν ἐξήλασεν.* Iam cum Mariani urbem vacuam occupavissent et terrore implevissent, Sulla nimirum inperio abrogato et ad Valerium Flaccum delato hostis est dictus (App. I 77, 81). Cum vero victor ex Asia rediisset, imperator videlicet (App. I 97) consalutatus est. Et postremo idem iterum creatus est consul. Extrema pars exempli vario modo emendari potest, sed utut emendaveris, omnia ad Sullam, non ad Marii fortunam spectabunt. Licet enim veterum librariorum coniecturam amplecti, qui in *populorum* vocabulum *postremo* contineri putabant, quae opinio ei non audacior videbitur, qui meminerit IV 13 *pronus* pro *populus Romanus,* semel atque iterum, IV 19 *Scipionem etiam* pro *Scipio Numantiam,* in Cic. vero p. 104, 26 *praeceptorum* pro *praetores,* p. 100, 5 *pecoris* pro *praetoris* in V scriptum esse. Archetypus quidem Cornificii multo etiam mendosior fuit quam Ciceronis de legibus archetypus.

Illam autem coniecturam qui probaverit, simul in extrema syllaba *II,* i. e. *iterum,* latere debebit opinari.

At in hac scriptura semper me offendisse profiteor coniunctionem *et*; nam exspectaveris hunc ordinem: *deinde, post, postremo,* id quod librorum tertiae classis correctores recte animadverterunt. Quare mihi maius aliquod mendum subesse videtur, quod nescio an recte hac coniectura detexerim: *deinde hostis est dictus, post imperator et populi magister, postremo iterum factus est consul.* Nam cum scribentis oculus a *populi* ad *postremo II* aberraret, coaluit videlicet illud quod traditum est *populorum,* in medio autem quae fuerant oblivione obruta sunt.

At enim Bochmannus primum certe Cornificii librum ante annum 81 compositum esse demonstravit. Adlatum enim esse I 20 hoc exemplum: Ex contrariis legibus controversia constat, cum alia lex iubet aut permittit, alia vetat quippiam fieri, hoc modo: *lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in contione orationem habere, altera lex iubet augurem, in demortui locum qui* (q; V) *petat, in contione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum nominavit: petitur ab eo multa.* Hoc vero pertinere ad legem Domitiam de sacerdotiis. Atqui hanc legem L. Cornelium Sullam anno 81 sua lege abolevisse. Ergo primum librum ante annum 81 confectum fuisse necesse esse.

At hoc mihi celerius iudicatum videtur. Neque enim quid etiam tum valeat aut antea valuerit memoria repetit Cornificius, sed historicum adfert exemplum ac simul leges, quae tum cum res ipsa fiebat valuerint, prorsus incuriosus, quae fortuna fuerit illarum legum. Sed sit sane, praesentia ipsum scribentis aevum denotent, quod tamen nemo facile concedet, temporum ratio, quam nos statuimus, haudquaquam convellitur, si primum Cornificii librum ante annum 81 absolutum fuisse arbitramur.

V.

Omnis Tullianae Inventionis recensio et emendatio adcommodari debet ad tres potissimum libros manuscriptos, quibus adhuc nec vetustiores nec meliores habentur, Virceburgensem Parisinum Sangallensem. Quibus ex libris Parisinum iam dudum I. G. Baiter ad Orellii editionem recognoscendam (Turici 1845) adhibuit, sed cum parum illo tempore scientia artis criticae et usu calleret, praestantissimum hoc emendationis adiumentum non

magnam attulit utilitatem, cum numero multo magis deteriorum librorum quam ponderata unius optimi libri auctoritate moveretur.[1]) Hanc erroris opinionem primus disiecit C. Halmius. Is enim quem ad modum de ceteris Ciceronis scriptis coniuncta cum Baitero opera optime meritus est, cum optimos libros erueret et plenam lectionum varietatem exscriberet et ad emendandum scienter adhiberet, ita ad Cornificii maximeque ad Ciceronis artis emendationem plurimum contulit, cum Virceburgensium duorum antiquissimorum librorum lectiones descripsit, partim ipse partim per Linsmayerum evulgavit, denique recensendi viam et rationem monstravit.[2]) Nova inde lux rhetoricis cum Cornificii tum vero Ciceronis oborta est. Atque his opibus qui deinde usus est L. Kayser, multa egregie ex codicibus, multa suo ipse ingenio restituit. Nec tamen pervidisse videtur, deteriorum codicum scripturam omnem redire partim ad duorum illorum librorum depravationem partim ad grammaticorum aut librariorum coniecturas. Multis enim locis cum inter optimos illos et deteriores libros admirabilis esset discrepantia, quem ad modum horum varietates ex illis priscis fontibus fluxissent, non satis apparebat. Hanc obscuritatem ut inlustrarem disiceremque, mihi summa C. Halmii et prudentia et liberalitate contigit. Qui cum ex Orelli schedis Sangallensem librum aliquantum ad recensionem conlaturum esse cognovisset, egregia in me benevolentia perfecit, ut liber ille praestantissimus Monachium, ubi tum studiis navabam, in regiam bibliothecam mitteretur usuique commodo mihi praeberetur. Et in hoc codice artis criticae vel maximum conparatum est praesidium, non quo aut aetate aut auctoritate codicibus VP exaequari possit, hi enim nono ille decimo saeculo adnumerandus est, sed quia Sangallensis libri auxilio cum VP consociato certius iam et facilius explanatur, quo ex consilio deteriorum librorum depravatio profecta, quove casu progressa sit. Nam in Sangallensi permultis locis aut erasa prisca scriptura recentior coniectura inlata deprehenditur aut supra versus inter-

1) Cf. Index Lectionum Academiae Turicensis 1845, inest varietas lectionis codicum quattuor ad Cic. libros de inventione rhetorica.

2) Analecta Tulliana ed. C. Halm. Fasc. I continet cum aliorum codicum tum Virceburgensis ad Cornificium varias lectiones cum brevi adnotatione critica, Monachii 1852. Fasc. II ed. Anton Linsmayer, varias lectiones ad Cic. librum I de Inv. ex IV codd. continentem, Monachii 1853.

posita aut etiam in margine subiecta habetur.[3]) Idemque non paucis locis in V, et multo saepius etiam in P factum est, sed huius libri hoc in genere non satis adcurata uti licet conlatione, Virceburgensis autem altera manus non minus saepe prioris librarii errores correxit quam coniecturas recentiores addidit. Ita ex trium horum librorum conparatione, maxime vero ex Sangallensi deteriorum lectionum origo et propagatio perspicitur simul cum veterum lectionum integritate: his fundamentis iactis recensio et emendatio Ciceronis munita est.

Atque ex libris vetustioribus quem quisque dignitatis locum obtineat, facile ex lectionum varietate intellegitur, unde manifestum est, primo ordine ac numero esse Virceburgensem[4]), librum vetustissimum et coniecturis maxime vacuum, alterum locum adsequi Parisinum, in tertiis denique Sangallensem ita consistere, ut propius ad Parisinum librum accedat quam hic ad Virceburgensem, atque etiam saepe numero cum illo de auctoritate contendat.

Raro accidit id quidem, sed accidit tamen, ut neglecta librorum VPS auctoritate, quod deteriores libri (ω) suppeditaverant, id in ordinem verborum recipiendum putarem.[5]) Nam ut fieri solet, libri vetustate praestantissimi librariorum erroribus aliisque iniquitatibus maxime adfecti sunt, quod quidem in omnibus fere priscae vetustatis libris usu venire videmus. Atqui hoc ubi evenerat, quid mirum est, si deteriorum librorum auctores, homines non semper indocti nec insipientes, etsi non multis at non nullis

3) Cf. adn. crit. p. 100, 18; 8, 5 et 11; 9, 2; 10, 5; 10, 14; 14, 11; 16, 3—4; 33, 10; 36, 17; 59, 3; 61, 22; 47, 1; 48, 3; 18, 19; 27, 13; 28, 15 etc. Rarius S solus verum servavit, sed cf. p. 5, 3; 7, 2; 59, 6; 60, 10; 63, 25; 64, 7; 34, 8; 38, 5; 39, 12; 40, 19; 41, 6; 43, 8; 21, 15; 83, 17; aliquotiens simul cum P, cf. 20, 9; 33, 8; 37, 8; 41, 22; 50, 7; saepius cum V, cf. 34, 2; 56, 25; 57, 2; 25, 2; 41, 26; 57, 18. 23. 24; 58, 2; 60, 3. 6. 7; 61, 2; 64, 2; 33, 7. 12. 20; 35, 12. 23; 44, 7; 45, 10. 19; 20, 10; 24, 23; 29, 21; 30, 23.

4) In I libro his fere locis V solus verum servavit: 12, 18; 13, 7; 15, 12; 58, 9; 59, 15. 18(?); 61, 6; 33, 20; 34, 19; 40, 2; 41, 4; 43, 3. 15; 48, 23; 18, 13; 19, 7; 24, 9. VP, cf. 12, 3; 15, 11; 64, 15; 33, 10; 35, 7; 39, 16; 46, 25; 48, 15. P solus: 7, 21 (cum Δ); 8, 15; 11, 21; 50, 9; 58, 11(?); 61, 13; 39, 21; 43, 10; 17, 13; 18, 11; 84, 10. PS$^2\omega$, cf. 88, 15. 23; 83, 16; 85, 6. 15; 87, 5.

5) Cf. 4, 6; 15, 12; 16, 12; 37, 2; 38, 9; 39, 23; 58, 8; 82, 4; 61, 5. 14. 16; 62, 17; 64, 8; 40, 16; 19, 6; 22, 6. 17; 26, 1; 84, 21.

tamen locis verum aut coniectura aut scripturae cognitione et usu adsecuti sunt? Nec deteriores libri, tametsi cum VPS ad unum eundemque archetypum redeunt, ideo omnes ex his solis exemplaribus descripti sunt. Quoniam enim in VPS maior est lacuna I 62—76, altera autem in VS II 170—175, quae quidem lacuna num in P quoque habeatur ex Escheri silentio non constat, deteriores libros, cum his omissionibus careant, ex aliis exemplaribus lacunis nondum depravatis translatos esse probabile est. Nec vero vetustiora .ista exemplaria, ex quibus deteriores libri descripti et PS suppleti sint necesse est, ex alio archetypo libro ac VPS originem duxisse videntur. Nam si ad diversos fontes redirent, deteriores libri cum VPS multo magis varietate lectionum atque adeo diversitate discreparent. Nunc cum in parvis mendis, quas coniectura quivis corrigere possit, haud raro codices deteriores verum tueantur, in maioribus difficultatibus nullum adiumentum adferunt et plerumque cum VPS consentiunt aut eorum lectiones summa cum libidine corrumpunt.[6])

Alterum efficiunt subsidium cum Albini vel Alcuini, Cassiodorii, C. Iulii Victoris aliorumque rhetorica ab C. Halmio coniunctim edita, tum vero Marii Victorini commentarii, ad priorem librum amplissimi lemmatisque abundantes, in altero quidem libro ambitu et auctoritate subinde decrescentes.

Lectiones his commentariis dispersas plerique usque ad nostram memoriam deterioribus Ciceronis libris similiores et propinquiores esse genere arbitrabantur. Atque ista opinio vere et recte invaluerat, quamdiu Victorinus ex Orellii editione cognitus, i. e. ex libris deterrimis ipse expressus habebatur. Nunc vero illius lectiones minime contemnendae sunt, ex quo C. Halmius Victorinum ad antiquissima exemplaria emendatum edidit. Nam ex illo tempore facile cognoscitur, Victorini quoque lectionem Ciceronianam accedere ad eundem archetypum librum ac VPS, eisdemque fatis procedente tempore depravatam esse. Ciceronis libros vetustiores negari non potest meliores esse quam vel antiquissimum Victorini librum Δ, sed tamen persaepe consensu

6) Cf. 148, 25; 147, 8. 22; 146, 7; 145, 26; 144, 20; 143, 9; 139, 6; 137, 25; 135, 19; 133, 7. 9; 131, 4; 129, 11; 127, 25; 125, 21; 122, 8; 119, 29; 118, 12; 115, 28; 110, 28; 109, 25; 105, 2. 6; 104, 22; 103, 17. 19; 102, 22. 26; 100, 18; 99, 9; 98, 26; 97, 15; 96, 6; 95, 8; 94, 9; 93, 1. 15; 92, 16. 21; 91, 6. 14. 24; 90, 10; 88, 3; 85, 18. 5; 84, 6 etc.

eius librorum VPS lectiones confirmantur, nec raro Victorini lemmatis (maxime in Δ) unica et vera lectio debetur.[7])

Interpretatio quoque Victorini verbaque Ciceronis in ea repetita aut circumscripta aliquot locis ad constituendam scripturam valent.[8]) Quare ad librum priorem paene omnia ex Victorino exscripsimus, postremo ne mole varietatum perspicientiam obruerem, proferendum putavimus, si quid memoratu dignum videretur.

Multo aliter de rhetorum textu adhibendo ad Ciceronis Inventionem emendandam iudicavit iuvenis doctissimus, nunc iam suis litterisque inmatura morte ereptus, A. Knackstedt, qui et dissertatione inaugurali (Gotting. 1873) et programmate gymnasii Helmstedtii (Helmst. 1874) hanc quaestionem diligentissime et copiosissime absolvit. Is enim sic statuit: rhetorum exemplar Tullianum multis locis integrius fuisse quam vel vetustissimos, quibus nos uteremur, Ciceronis codices; quare non modo lectiones aliquot meliores in illorum artibus inveniri, sed etiam multa et falsa additamenta, quae in Ciceronis codices irrepserint, sed quibus rhetorum exemplaria Tulliana etiamtum vacua fuerint, coargui et convinci posse. Et hoc quidem mihi non probavit. Nam cum rhetores illi hoc potissimum agerent, ut disciplinae oratoriae brevioribus artibus inservirent, quicquid aut ad ipsam institutionem non necessarium esse aut etiam continuam doctrinae expositionem interrumpere videbatur, id nimirum silentio praetermittere solebant. Quodsi aliquod enuntiatum invenitur in Ciceronis libris, deest apud rhetores, minime horum exemplar maiore integritate fuisse efficitur. Immo multo maior est Tullianorum librorum auctoritas, cum multis locis rhetorum libros ad communionem quandam deteriorum Ciceronis librorum inclinare luce clarius appareat.

Sed tamen vehementer doleo Knackstedti libellos, quantumvis temperi eos parare studuerim, recensione mea Tulliani textus typis iam descripta denique in manus meas pervenisse. Nam haud paucis locis illius iudicium nunc cum meis inventis congruere video. Quare ne quid desit meae editioni, cum praesertim illius iuvenis libelli paucorum manibus teneantur, omnes eius coniecturas ordine ac breviter percensere haud incommodum videtur.

7) Cf. 4, 14; 10, 18; 12, 15; 57, 13; 38, 15; 39, 13; 59, 25; 62, 15; 30, 16. 23; 35, 6; 105, 6; 108, 4; 108, 19; 111, 10; 120, 18. Exemplar iam corruptum Victorinum tractasse apparet ex p. 42, 18; 97, 1.

8) Cf. 82, 10; 94, 19.

Primum igitur incerti scriptoris de attributis personis et negotiis (p. 593—595 Halm) lectiones memorabiles ut ille pertractabo.

Hic Knackstedt in Cic. p. 36, 9, ut ω et rhetor ille (594, 34) tradunt, ita esse scribendum existimat: *natura ipsius loci et vicinitatis et totius regionis,* id quod Halmius iam commendaverat. At *naturae loci* mihi quidem *totius regionis* vicinitas opponi videtur, h. e. *qualis sit ipse sceleris locus et qualis sit regio vicina.* Illam quidem, quae vereor ne subabsurda sit, gradationem *loci ipsius, vicinitatis, totius regionis,* si amplecti malis, aut tautologia evadet aut *vicinitate* soli homines in propinquo incolentes designari videbuntur.

Idem apud Cic. p. 36, 15 praeferendum putat: *quae propter vetustatem obsoleverint aut incredibilia videantur.* Sed *aut* ante *propter* positum recte se habet, cum non respiciat ad proximum *aut,* sed ad alteram insequentem sententiam: *aut quae iam diu gesta — — tamen faciant fidem.* Nec scripturae *quaeritur,* etiamsi in ipsa propositi explicatione deinceps sequantur praesentia, ulla est auctoritas, cf. p. 8, 5—6; 17, 21 et 18, 1; 22, 22 et 23, 13 et 24, 2; 40, 2 et 4; 56, 19 et 21; 58, 3 et 12; 61, 8; 63, 26 et 64, 2 etc.

Deinde p. 39, 8 eodem modo, quo p. 92, 1, tractandum esse arbitratur Knackstedt: aut utroque loco *rebus* addendum esse aut utroque *partibus* supplendum. Ipse hanc alteram rationem sequitur. At non partes ipsae negotiis attributae dicuntur, sed earum rerum, quae attributae sint negotiis, partes quaedam numerantur. Ego eadem certe ratione hunc et illum locum constituere debui; sed tamen p. 92, 1 nunc mihi ex lectionibus librorum VS suspitio suboritur, illum locum additamento ex p. 39, 8 translato depravatum esse.

Defendit porro Knackstedt p. 37, 2 *possunt* pro *possint,* quasi sit illud enuntiatum Ciceronis ipsius iudicium. Sed Ciceronis sententia retinetur ac reprimitur omni hoc loco. Quid quod paulo ante, si litteras urgueas, in codicibus quidem *obsoluerunt,* i. e. indicativus pro coniunctivo modo antecedat. Scilicet in electione litterarum *i* et *u* rationem, non librorum auctoritatem sequi debemus.

Cum Anonymo Knackstedtus p. 36, 10 scribendum esse existimat: *sacer profanus, publicus privatus.* Et hoc quidem falsum

esse recte dudum iudicavit Iwan Mueller (Bursians Jahresbericht I 679): interrogationes enim obliquae *an, anne, ne* particulas requirunt. Ego variasse Ciceronem credo, sed nescio utrum *sacer anne profanus, publicus an privatus*, an: *sacer profanusne, publicus an privatus* ex codicum traditione praeferendum ducam. Id concedo hanc posteriorem coniunctionem aures meas aliquid offendere.

Contra laetor p. 38, 15 et 35, 7 in constituendis verbis Knackstedtum mecum consentire. At cum idem p. 87, 3 nomen *molestia* ex p. 35, 5 a rhetore quodam translatum adiectumque esse arbitratur, quia Anonymus (594, 12) eo verbo careat, nimium mihi huic dubiae auctoritati, Ciceronis libris parum concedere videtur. Nam quod in Victorini lemmate (265, 19) idem desideratur verbum, nihil illam suspitionem adiuvat, cum alterius omnino libri lemmata breviora esse constet quam ut ex omissionibus quicquam concludi ad textus veritatem possit. Immo ex Victorino illud intellegitur, quid causae fuerit, ut rhetor breviorem reciperet formam. Accedit quod obstat Albini (537, 30) testimonium.

Nec ullam causam esse credo, cur cum Knackstedto p. 37, 11 adiectivum *idoneam* excerpamus, quia videlicet hoc vocabulum deest apud Anonymum. Festus quidem p. 178 (M) occasionem definit opportunitatem temporis esse casu quodam provenientis. Quare *idoneam* opportunitatem significat huic ipsi rei faciendae aptam, id quod Cornificius (IV 53) dicit *occasionem adgrediendi commodam*. Cum autem illa voce sententia universa possit supersedere, cur Anonymus eam omiserit, facile intellegitur.

Ne illud quidem necessarium videtur, quod Knackstedt p. 39, 13 ex Anonymo se restituere posse credit: *ecqua de ea re aut quae eius rei sit lex*. Nam Victorini explicatio traditae scripturae satis commoda est: *verum quod ait de ea re, totum est; quod ait eius rei, pars est*. Lex enim aut simul cum aliis rebus aliquid conprehendere aut unam aliquam rem definire potest.

Omnium maxime memorari attinet, quod Knackstedt eum locum, qui est p. 86, 6, ex Anonymo et contrahere et dilatare se posse putat, hoc modo: *nam et de nomine non numquam aliquid suspitionis nascitur, ut si dicamus idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit; nam eiusmodi nomina quasi indices morum hominibus saepissime inponuntur; aut si ea re hominibus Graecis inperitis verba dederit, quod Clodius*

aut Caecilius aut Mutius vocaretur. Sed in hac re tractanda Knackstedt sibi ipse non constat. Nam si rhetoris incerti auctoritas tantum valet, ut plenum enuntiatum ex eo in Ciceronem transferamus, quidni abicimus ea, quae idem ille rhetor praetermisit, sc. *aut si ea re — — vocaretur*? Illa quidem nova sententia a quovis facile excogitari potuit nec ad Ciceronis ipsius rationem necessaria est. Denique addo *inperitis* mihi pro additamento explicandi causa adscriptum videri (*ut peritis*); opinari etiam licet illud ex *ut inperitus* ortum esse. Clodium quidem a claudo, Caecilium a caeco, Mutium a muto derivatum esse iisque nominibus ingenii quandam tarditatem significatam esse arbitror. Caecilium i. e. hominem videlicet stultum — ita enim videbatur — verba dedisse Graeco homini, cum hic pro sua prudentia rusticum scilicet hominem contempsisset.

Iam p. 34, 7 uncis ab Knackstedto includitur *sit,* quia Anonymus (593, 15) et Albinus (537, 19) id vocabulum non retinuerint. At hoc sublato bipertita interrogationum enumeratio tollitur. Deinceps idem *acutus an hebetior* deleri vult cum Anonymo et Victorino (𝔐 217, 18), sed cum eo ipso loco idem illi rhetores alia additamenta referant, quid eorum auctoritatem maxime dubiam hac una in re sequimur? Nam quod *an infacetus,* quia haec verba in S punctis deleta sunt, omni auctoritate carere ducit Knackstedt, ho pro arbitrio sumpsit neglecta veritate. Nec minus arbitrarium est, quod *comis* etiam, non modo *officiosus* ab eo eicitur, *pudens patiens* autem retinetur. Cicero dicit p. 39, 18: *deinde postremo attendendum est, num quae res ex eis rebus, quae positae sunt in partibus honestatis aut utilitatis, consequantur; de quibus in deliberativo genere causae distinctius erit dicendum.* Haec omnia omittit Anonymus, omittit ergo Knackstedt. Causam autem hanc adfert: postquam dictum sit *et cetera* (39, 16), quibus generalis contineatur conplexio, nullo modo pergi posse: *deinde postremo.* At doctrinae et rationi iudiciali subiungi potest quasi adnotatiuncula de virtutum vitiorumve ratione, quae est in genere deliberativo. Hoc quidem simplex consilium nescio an indicetur verbo *attendendi.* At enim *deinde postremo* iuxta non ponuntur! Quasi vero non item *deinde postea* aut *deinde porro* iungantur! Quid igitur *deinde postremo* dissociabile esse putabimus? Quod si tamen concedere recuses, corrigendum est *deinde,* non universa sententia tollenda.

Nihil me offendit p. 39, 12 *qui denique.* Hoc vero Knackstedto intolerandum videtur, quia subsequatur *deinde, deinde, postea, et cetera.* At illud *denique* non novam inducit partem, sed unius et eiusdem partis coeptam expositionem absolvit, cf. Cic. de rep. II 48: *quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit?* Proponit ille quidem *qui dein,* sed cf. locorum I 67, II 43 rationem: enumerationis ibi aut narrationis rerum celerem esse progressum invenies. Etiam p. 17, 6 ex M vocabulum *dein* revocandum esse existimat.

At contra suo iure p. 37, 8 in suspitionem gravissimam vocavit haec verba: *consideratur autem tempus et anni et mensis et diei et noctis et vigiliae et horae et in aliqua parte alicuius horum.* Hic nihil me movet, quod ista verba rhetor incertus omisit, nec enim ad doctrinae tenorem pertinent. Victorinus autem non omnino neglexit, cf. 224, 26: *tempus esse diximus spatium, quod in annis mensibus diebus noctibus horisque versetur,* quamquam his verbis ad superiorem magis, quae legitur 224, 1, explicationem suam respicit. Multo maius est, quod, quae in tempore consideranda essent, paulo ante satis expositum est, nec restat nunc, quid in tempore, sed, si quicquam, quid considerandum sit in longinquitate. Hoc tamen paulo ante etiam consideratum est. Nam ut adcuratius definiatur, qua diei qua noctis hora, quo denique anni tempore aliquid factum sit, ad coniecturalis constitutionis demonstrationem pertinet, non in universam argumentationum descriptionem cadit. Quare ut Iwan Mueller (Bursians Jahresb. I 679) ita ipse ad Knackstedti opinionem accedo.

Praeterea p. 39, 5 rhetor ille incertus praetermisit: *quare hoc in genere, ut commode quid eventurum sit, ante animo conligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo,* et rursus conectit: *in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit eveniat eventurum sit, ut ex adrogantia odium, ex insolentia adrogantia.* Et hanc brevitatem, quae quin ad Ciceronis consilium sufficiat, nemo certe est qui dubitet, ut unice veram amplectitur Knackstedt. Ac tamen, cur Ciceroni adulescentulo illud additamentum abiudicemus, causam video nullam. Adhortationem continet argumentationis alicui loco subiectam. At quid

scriptorem inpediret, quin argumentorum doctrinae, si ita commodum videretur, considerationem aut adhortationem quandam adiceret? Nec ea prorsus inepta est. Nemo enim facile animo conligat, quid ubique eventurum sit, nisi, quid quaque ex re evenire soleat, diu ac multum consideraverit. Futurae autem consecutionis considerationem praecipue commendavit ut rem difficillimam. Reliqua sensibus percipiuntur, haec cogitatione et prudentia conligenda sunt. Prudentia igitur usu et observatione augenda est.

Vix verum adsecutum esse Knackstedtum opinor, quod p. 37, 12 praetermisit cum Anonymo: *quare cum tempore hoc differt: nam genere quidem utrumque idem esse intellegitur*, et deinceps *quod in annis aut in anno aut in aliqua anni parte spectatur*, denique ad extremum: *quare cum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam et specie, ut diximus, differat.* Sententiarum enim nexum hunc esse arbitror: Quia occasio non modo in tempore est, sed pars est ea, quae cuique rei aptam quandam habeat faciendi opportunitatem, ideo occasio cum tempore differt. Atque hoc discrimen denuo deinceps exponitur. Quare cum genere idem sit, scilicet ea res quae occasio appellatur, fit aliud, quod parte quadam et specie (= id est specie), ut supra diximus, differat. Et huius coniunctivi modi causa satis aperta est: *quod* enim non coniunctio est, sed pro relativo pronomine habetur. Orationem omnem utique redundare concedo, sed doctoris sed scholae iterationem redolet. Quodsi ex scholarum commentariis Ciceronem sua conscripsisse accipimus, quid tandem scholasticam istam ac tenuem ubertatem vi quadam cohibemus?

Spuria etiam Knackstedto videntur (p. 38, 4) haec verba: *aut in adfectionem animi, hoc est molestiam iracundiam amorem et cetera quae in simili genere versantur.* At nemo facile istuc videlicet additamentum partim ex II 30, partim ex I 36 conflatum esse credet. Interpolator certe, quae ex I 36 hausisset, non artificiose variasset, ut pro *alia* iam *cetera, simili* pro *eodem, versantur* pro *reperiuntur* poneret. Deinde sit sane adfectio non ex eis rebus, quae negotiis, sed ex eis, quae personis (§ 34—36) attributae sunt, nihilo setius, cum in his libris Ciceronis doctrinam non semper sibi constare Fr. Bader ostenderit, universam illam sententiam deleri non licet. Accedit quod Victorinus (225, 25—32) illam ut Ciceronis rationem cognitam habuit, et rursus, qua causa adductus Anonymus omiserit, sole clarius apparet.

Nec vero magis mihi probatur, quod cum eodem rhetore (593, 7) et cum Albino (537, 9) Knackstedt p. 86, 7 haec Ciceronis verba excerpenda censet: *nomen autem cum dicimus, cognomen quoque intellegatur oportet, de hominis enim certo et proprio vocabulo agitur.* Nam si haec rhetor quidam ex I 34 addidisset, repeteret profecto eadem prorsus verba, aut ex posterioris aetatis consuetudine in generibus nominum distinguendis maiorem prae se ferret doctrinam. Cicero autem simpliciter haec docet: nomen cum dicimus, non ea modo nomina intellegi volumus, quibus fere homines Romani appellari consueverunt, sed ea etiam, quae nominibus illis haud raro adiunguntur; utroque enim genere vocabulorum singuli ac certi homines denotantur. Quae sententia cum rhetoribus parum necessaria videretur, idcirco eam in brevioribus suis artibus praetermiserunt.

Postremum ex Anonymo proponitur p. 35, 1: *aut virtutis aut artis alicuius perceptionem et item corporis* etc. omissis verbis *aut quamvis scientiam.* Ego non nego aliquem *artis perceptionem* explicaturum adscribere potuisse *vel scientiam*, praesertim cum p. 86, 25 eodem loco idem vocabulum positum sit. Eundem autem hominem *quamvis* addidisse et veram aptamque sententiam effecisse, admirationem atque adeo suspitionem movet, illa verba tamen a Cicerone potius esse profecta. Anonymum enim brevitatis causa ea abiecisse manifestum est.

Ex eis, quae breviter disputavimus, Knackstedtum Anonymo suo nimiam habere fidem apparet. Nec demonstratum opinor esse meliore rhetorem illum Ciceronis exemplari usum, quam quibus libris nunc utimur. Uno quidem loco (I 39) aliquod falsum, ut videtur, additamentum in rhetoris arte non exstat. At librum illi maiore integritate praesto fuisse minime sequitur. Nam veri similius est, ut multa alia quae necessaria non viderentur, sic hoc emblema consulto ab eo praetermissum esse. Atque ut de rhetore incerto item, quem deinceps Knackstedtus examinavit, de Albino nos iudicamus.

Illud Knackstedt recte observavit, id quod ipse p. 27, 13 coniectura investigavi, vere Albinum tradere *longius quam opus est.* Ita coniectura mea cum origine vitiosae traditionis detecta tum externo quodam testimonio conprobatur. Laetor etiam p. 85, 2 coniecturam meam non discrepare cum eo quod Knackstedtus proposuit. At erravit idem, cum paulo post (p. 82, 3) futurum

dicetur recipiendum duxit propterea quod sequatur *videbitur*. Nam hoc quidem, cum duo verba (*videturut*) in unum coalescerent, ortum esse ex deteriorum librorum lectionibus patet. Rursus doleo, quod p. 64, 5 illud me effugit, Iulii Victoris (415, 27) et Albini (541, 29) artes *nihilo minus* pro *nihilo magis* praebere. Nam ut hoc infirmi argumenti, ita illo communis argumenti vitium notatur, cf. p. 25, 3 et Cornif. I 11: *item vitiosum est* (exordium), *quo nihilo minus adversarius potest uti, quod commune appellatur.*

Dubium mihi est, num p. 41, 14 ex Albino (539, 33) recipi debuerit *et in paribus*. Nam ille quod sequitur tertium membrum omnino omisit. Sed quoniam tres similitudinis partes proponuntur, praepositione quadam carere non potest oratio. Cum autem Cicero ipse paulo post eloquatur *ex pari sic*, nescio an potius *ex* post *et* interciderit. Illud quidem, quod 𝔐 (236, 2) *aut per contraria aut per paria aut per eas res, quae sub eandem rationem cadunt* circumscribit, aliquam praepositionem nescio quo casu haustam esse certissimo signo est.

Nunc interpolationes recognoscemus, quas meliore scilicet Albini codice adiutus Knackstedt sibi deprehendisse videtur.

Ac primum verba illa (p. 107, 6) *incurrit huc definitio, sed nos hunc locum, de quo agimus, consideremus* omisit Albinus (530, 31) neque a Cicerone ipso profecta esse existimat Knackstedt. Sed primum ego non concedo parum apte dictum esse *nos hunc locum de quo agimus consideremus*, quibus verbis nemo est quin extemplo adsumptivae partis considerationem mente conprehendat. Exspectaverit quispiam *nunc* pro *nos*, quod, si necessarium videatur, facile sit ad emendandum, cum etiam *nunc* et *non* p. 64, 8 et 124, 6 in codicibus vetustis permutata sint. Nec vero, quod postea (p. 108, 4) exponitur, illo iam enuntiato anticipatur. Illic enim de coniunctione constitutionum agitur, non de potissima cuiusque rei constitutione. Denique illud ultro occurrit et ipsum se offert, brevitatis studio hoc enuntiatum ab Albino esse praetermissum. In eis, quae sequuntur, eadem quae ipse delevi Knackstedt deleta vult, cf. ad p. 107, 11, praeterquam quod ille retinet *aut coniecturalis*, deinceps *aut altera coniecturalis*. Porro desiderantur apud Albinum haec (p. 115, 20): *sine concessionis partibus, nam earum maior quaedam vis est, quod paulo post intellegetur*. Et haec verba, cum conciliari non possint

cum eo quod p. 114, 21 doceatur, spuria esse Knackstedt arbitratur. Sed quid interpolatorem moverit, ut obscura illa verba adderet, equidem non video. Quare quae tradita habemus, aut explicari aut emendari debent. Ac nisi *sine concessionis partibus* significare potest *ut nihil dicam de concessionis partibus*, cuius dictionis apud Ciceronem quidem nullum reperitur vestigium, eo inclino ut proponam *non sine c. p.*, quia *non* post *inpedimento* facile potuit excidere. Deleri etiam placet Knackstedto haec (p. 24, 17): *propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori vel maxime commendat.* Sed huius sententiae rationem parum videtur perspexisse. Quomodo haec, inquit, inter se cohaereant, quia exordium plenum debeat esse gravitatis et dignitatis, idcirco id, quod oratorem auditori commendet, optime faciendum esse, vix explicaveris. At vero ordo sententiarum hic est: Quia exordium oratorem vel maxime commendet, id autem, quod maxime commendet, optime faciendum sit, ideo debere exordium habere omnia, quae pertinent ad dignitatem. Et hanc rationem argumentorum commodam et veram esse negari non potest. Scripturae autem traditae discrepantia inmerito illius suspitionem accendit. Nam *que* et *quod* saepissime commutantur, cf. p. 14, 21; 19, 9; 23, 14; 25, 2; 26, 9; 28, 13; 32, 1. 19. Quod autem *qui* traditur pro *quod*, recordari debemus permutari inter se cum *quod* et *quia*, cf. 7, 15; 8, 8; 11, 18; 30, 10, tum etiam *qui* et *quod*, cf. 16, 5; 23, 2; 25, 11. 13, denique *que* et *qui*, cf. 47, 23; 57, 19; 86, 2. Denique quo modo *auditorem* pro *auditori* fieri potuerit, veteris scripturae gnaris eo mihi planum fecisse videor, quod *auditorem* ex *auditoreul*, cum *auditori*, id quod etiamnunc est in S, in *auditore* transiisset, ortum esse conieci. Nihil enim saepius permutatum est quam *i* et *e*, cf. 12, 18. 19; 15, 23; 17, 15; 18, 15; 19, 2; 25, 19; 26, 6; 60, 4; 78, 7; 82, 9; 22, 1—2; 23, 9; 24, 23; 29, 5; 34, 7; 49, 5; 27, 20; 32, 2; 35, 23; 39, 2; *ul* autem, i. e. *uel* haud raro in vetustis libris mutatum abiit in *m*.

Denique locum difficillimum (p. 71, 5) Knackstedt hunc in modum emendare studet: *Septimus locus est, per quem indignamur, quod taetrum crudele nefarium tyrannicum factum non vindicetur, quae res ab legibus et ab aequabili iure remotissima sit.* Ad hanc enim coniecturam infelicem devenit, cum legeret apud Albinum (542, 32): *item indignamur taetrum crudele nefarium*

tyrannicum scelus non ulcisci, quod remotum sit ab omni lege et aequitate, tale factum non vindicari. Ego et hanc scripturam esse depravatam et in mea multo leniore coniectura acquiesci posse credo. Eam quidem sententiam, quam Knackstedtus effinxit, ab iudicio, anteaquam de sententiis iudicum conveniat, alienam esse iudico. Quo in genere quid oratores indignari soleant, conligitur ex p. 70, 20. 24; 71, 4.

Tertio loco in Iulii Victoris artem inquiritur. Ac primum p. 57, 13 ut nos sic ille *aut infirmatur* ut emblema sustulit, cf. Iul. Vict. 413, 34, Cassiod. 498, 5. Hanc coniecturam primus excogitavit Nizolius, ab eoque accepit Schuetz, denique eandem proposuit M. Seyffert (Schol. Cat. I 137). Hinc veteres etiam rhetores apparet coniectura idem adsequi potuisse.

Omisit praeterea Victor (408, 28) illa quae exstant p. 45, 11: *id pro certo.* Quae quidem verba necessaria esse nemo profecto monstrabit. Quid autem sequitur? Illud opinor, rhetorem breviorem artem conditurum, quae necessaria non viderentur, ea non transcripsisse. Meliore quidem aut integriore eum codice usum, paucis his locis non evincitur. Interpolationis vero vestigia sibi repperisse videri, quia in VP non *id* sed *et id* inveniatur, nimia audacia est. Quoniam enim *quaereret* antecedit, supervacaneum illud *et,* cum praesertim desit in S, dittographia esse ortum multo probabilius est.

Vetustum vitium p. 65, 19 *propter inhonestatem* vel *propter inhonestam rem* commoda nobis coniectura sustulisse videmur. Knackstedt autem haec omnia delere malit, quia praetermisit videlicet Victor (416, 6). Nunc credo perspicuum est et quem ad modum veteres librarii ad inmutandam scripturam adducti sint, et quo consilio rhetor illa aliena scilicet verba praeterierit.

Quoniam Victor (413, 28) *nec semper ratiocinationem a propositione* habet, concludit Knackstedt, quod coniecerit Schuetz, repperisse eum in suo Ciceronis exemplari (p. 56, 23): *deinde in ipsa ratiocinatione.* At Ciceroni opinor et hoc et illud nomen usurpare licebat. Quid igitur causae est, cur mutemus? Etenim argumentatio ratiocinativi generis expositio est, quod ut explanaretur, rhetor alterum nomen alteri anteponendum duxit.

Deinceps (p. 56, 26) quod Kayser inclusit *tum utraque,* id testimonio Victoris (413, 31) conprobari putat Knackstedt. Nos vero Victorem, si quid omitti posse videretur, id omisisse arbi-

tramur. Quare illa verba si conprehendere et intellegere licet, non eicienda esse putamus. Et Kaysero quidem illud concedimus (Fleckeiseni Ann. 79, 495) ab utraque adprobatione non simul incipi posse, at utraque tamen adprobatione uti licet in argumentatione. Hoc quidem a vulgari ratiocinationis forma non recedit. At Cicero omnino commendat variationem, in qua non modo vulgaris formae evitatio sed etiam vulgaris formae rarior usus continetur. Nihil igitur valet, quod illa verba a Victore neglecta esse videmus, nec magis quicquam valet, quod apud eundem rhetorem *alterutra* omissum est, quod vocabulum tamen sine idonea causa expunctum voluit Knackstedt. Porro existimat sequendum esse Victorem (429, 20), cum omiserit *fiet* (p. 68, 13). At hoc in genere nulla est illius libri auctoritas, quia singula verba saepenumero in eo interisse constat. Deinceps ab rhetore quodam profecta esse statuit Knackstedt ea, quae omiserit Victor (p. 68, 14): *ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem*, et paulo post (v. 16) *id quod difficilius est*. At cum iudicia ista ad veritatem adcommodata esse negari non possit, — nam illa enumeratio, qua partitio quasi in memoriam reducitur, multo et artificiosior et difficilior est, cf. ad Aesch. Ctes. 203 —, cur illa verba deleamus, causam video nullam.

Iucundum mihi est commemorare eam, quam ipse receperim, scripturam (p. 61, 22) propositam etiam esse a Knackstedto. Hic tamen in ea acquiescere noluit, et cum uni Parisino libro nimium tribueret auctoritatis, vulnus quoddam latere putavit. Sed cum *adversario* in P, tum *adversari* in VS natum videtur, cum dirempta archetypi scriptura in unum coalesceret, *adversari aut* pro *adversarius aut*. Atque ex *adversari* postremo correctores effecerunt *adversarii*.

Nimis audacter constituit (p. 64, 7) Knackstedt vulgaris argumenti circumscriptionem. Cum enim Victor (415, 29) nihil nisi haec ex Ciceronis definitione servaverit: *aut ut vulgare, quod in aliam quoque rem transferri possit, ut „si causam veram non haberem, vobis me iudicibus non commisissem“*, verba Ciceronis ita corrigi posse existimat: *vulgare est, quod ad aliam quoque rem [non probabilem, si nunc concessum sit,] transferri possit, ut [hoc]* etc. Ea quae incluserit aliena esse; certe similem sententiam in definitione vulgaris exordii neque Ciceronem (I 26) neque Cornificium (I 11) neque Quintilianum (IV 1, 71) habere. At

exordium et argumentum res sunt plane diversae. Illud enim, si non ex ipsa causa profectum ad quamvis aliam transferri possit, vitiosum sit sane; argumentum quidem unius causae proprium esse non potest, unum idemque ad multas causas confertur nec ideo ipsum vitiosum est. Sed cum idem argumentum pariter ad probabilem et ad non probabilem causam valebit, tum vulgare, tum vitiosum denique est. Exemplum praebet Aeschines II 6. Nam cum in causa de falsa legatione Demosthenes dixisset, fieri non posse ut Aeschines absolveretur, cum eodem crimine Philocrates capite condemnatus esset, reus respondit: at hoc ipso se nomine iudices se absoluturos sperare; illum enim profugum esse, se ad praestitutam diem adesse et causam dicere innocentia fretum. Ibi uterque, et accusator et reus, vulgari usus est argumento, quod etiamsi in una aliqua causa probetur, at in omnes causas adhiberi non possit.

Prorsus felicitate Knackstedt destituitur, cum etiam lacunam (p. 46, 3) ex Victore (408, 36) supplere se posse arbitratur. Quem locum quia in commentariis criticis ultro exscripsimus, sufficit illius coniecturam adponere: *deinde demus operam oportet non intellegi, quo spectent* etc. At enim vero ista structura, qua *operam dare* iungatur cum infinitivo modo, et apud Ciceronem et in ceteris aureae aut argenteae latinitatis auctoribus insolens et inaudita est.

Victorem sequitur Knackstedt etiam p. 30, 9. Quo loco quid ipse sentiam, in commentariis textui subiectis brevi indicavi. Ibidemque p. 30, 12 quod Victor (419, 16) praebet: *interfectum esse ab uxore Agamemnonem*, hoc in Ciceronem etiam recipiendum duxit Knackstedt. Hac demum ratione iuris consideratione expressa oratorem eum, qui cogitetur, suae causae commodo consulere. Et primo obtutu ita videtur, itaque Victori certe visum est. Sed tamen Ciceronem credo, si hanc rationem sequeretur, contrarium contrario ita fuisse oppositurum, ut eloqueretur: *interfectum esse ab uxore maritum*. Hoc vero facinus scelus quidem esset nefandum, at non id, quod omnium Graecorum iras animosque exacerbaret. Nam multo maius est Agamemnonem, i. e. virum nec virum modo sed regem nec regem modo sed totius Graeciae summum ductorem et victorem interfectum esse ab Clytaemnestra, i. e. ab muliere et uxore perfida. Haec enim omnia continentur illis nominibus. Accedit quod Clytaemnestra vix digna videtur, cui uxoris nomen inpertiatur. Atque hoc exemplo simul

patet, quanto integriores habeamus ipsius Ciceronis codices. Huc praeterea accedit p. 69, 6, ubi quod Ciceronis libri reliquerunt: *aliis actionis quoque modis,* multo verius est quam id quod Victor (429, 32) tradit: *aliis quoque actionis modis.* Nec enim varii actionis modi, sed enumeratio et actio inter se opponuntur. At contra p. 69, 14 ex Victore *partitionis* adsumendum esse, recte iam Knackstedt animadvertit.

Rursus nescio an errore labatur, quod p. 67, 14 cum Victore (416, 26) *quod nos defendamus,* non, ut in libris Tullianis est, *quod nos defendimus* scribi vult, quia hoc enuntiatum ex aequo positum sit cum eo, quod antecedat: *quod contra dicatur.* Nam illud quod contra dicitur a cogitatione dicentis tamquam remotum obliquo aptius exprimitur modo; at ipsi quod dicimus, hoc quasi propinquum et certum ac definitum melius effertur indicativo. Hoc in genere, etiamsi deinceps sequatur *quod nos dicamus,* varietas modorum cum vera tum iucunda est. Quare p. 101, 5 ne temporum quidem sequi voluimus aequabilitatem in obliqua oratione.

Haec fere sunt, quae ex Iulii Victoris rhetorica repetere posse ad emendandam orationem Tullianam sibi visus est Knackstedt. Transeamus nunc ad ea, quae Victorinus suppeditavit, recognoscenda.

Secundum Victorinum p. 15, 2 *ipsa* vel *ipsa et* interpolatori deberi putat. Quem ego non *ipsa et* — hoc enim solum in archetypo fuit —, sed *et ipsa* adscripturum fuisse credo. Vitium igitur aliud subesse puto. At memorari attinet, quod ipse coniecerim p. 44, 15, id scriptum iam in 𝔐 (241, 1) exstare, quam coniecturam iure commendavit Knackstedt. Mihi quidem *virum* natum videtur ex *utrum.* Quid quod ex C. Halmii de C. Iulio Victore disputatione (p. 408) Quintiliani etiam in libro Bambergensi illud nomen deesse elucet?

Maximopere laetor etiam p. 44, 21 me et Knackstedtum in eandem incidisse emendationem: utrumque duxit Victorini auctoritas. Idemque consensus recurrit p. 11, 2, cum uterque ante adposita praepositionem esse existimavit omittendam. Cf. p. 146, 2.

At quod p. 20, 8 *genere* deletum vult Knackstedt, cum omissum sit hoc nomen in 𝔐 (201, 10), hoc testimonium mihi levius videtur quam cui optimorum librorum posthabendum ducam. Rursus eandem, quam ego subposui, suspitionem ille protulit

p. 96, 15. Et p. 140, 22 cum M omittendum censet esse *genus*. Idemque p. 148, 13 expunctum vult *fecit*, quia desideratur in M. At in altero libro saepe numero lemmata non plena sunt. Quare nihil est, quod optimos Ciceronis libros deseramus. Nec multum refert, quod p. 11, 14 M tueatur non *quoniam*, sed *quia*. Illud enim eodem loco exstat in 𝔐. Atque hoc anteponendum duxi, quia in archetypo videtur *quam* fuisse, hoc autem saepius propter conpendiorum similitudinem cum *quoniam* commutatur, cf. 11, 21; 36, 18, nec obstat quod p. 97, 12 *quia* in eadem ratione maiore utitur auctoritate. *Quia* cum *quoniam* commutatum est etiam p. 36, 18.

Nec magis mihi probatur, quod p. 43, 10 *numerum* pro *numeros* ex PM recipiendum esse existimat. Nam quot modi, tot numeri sunt, cf. Ovid. Am. III 7, 26: *me memini numeros sustinuisse novem*, Hor. Ep. II 2, 144: *verae numerosque modosque ediscere vitae*. Quid quod milites etiam in numeros distribui dicebantur? Cf. Plin. et Traiani Ep. 29, 2 (K). At *numerum argumentandi dispersisse* quid sit, ego non intellego. Mirum praeterea mihi ad aures accidit, quod ibidem Knackstedt contra optimos libros *in praesenti* pro *in praesentia* necessarium esse putat propter id quod sequatur perfectum tempus *dispersimus*. Nam *in praesentia* non modo cum perfectis, cf. Tusc. I 14, Ep. Fam. IV 5, 1, sed etiam cum inperfectis, cf. Caes. b. g. I 15, consociatur. Rectius opinor idem existimat p. 48, 5 *reguntur* pro *geruntur* in ordinem accipiendum esse. Primum flagitare sententiam ipsam verbum cognominatum vocabuli *administrantur*. Tum ipso regendi verbo in eadem ratione paulo post (v. 8) uti Ciceronem. Me vero nunc illud maxime movet, quod si *geruntur* Ciceronem edidisse putabimus, requiratur non *consilio*, sed *cum consilio*. Itaque altera utra via coniectura mittenda est.

Idem ille p. 59, 25 commendavit *sin*. In eis enim quae Cicero inde a § 80 exponat, secundam et tertiam partem (59, 1; 59, 3) induci particula adversativa. Sed hoc non satis est. Nam *sin* oppositam requireret non modo adversativam sed condicionalem sententiam. Quare meliores Ciceronis codices derelinquere non ausim. Quod ego p. 62, 15 recepi ex M, idem commendavit Knackstedt. Idemque in loco desperato p. 81, 12 coniecit haec: *ex quibus est quaestio eadem coniecturalis, quae iudicatio*. Etsi constitutio non eadem est quae iudicatio, at in coniecturali ge-

nere constitutio et iudicatio ex eadem quaestione nascitur, cf. p. 11, 10; 19, 2.

Rursus p. 105, 5—6 mecum consentit. Nam si de tribus Cicero cogitasset membris, etiam in tertio repetiturum fuisse praepositionem *ex*. Idemque consensus est p. 144, 11.

At quoniam p. 38, 8 M omittit *id*, Anonymus autem (595, 17) eo loco *illud* praebet, si utrumque falso additamento quodam ortum esse Knackstedt ducit, haec mihi suspitio non probatur propterea quod *id* ante *in* facillime excidere turbasque movere potuit, nec Anonymi aut Victorini libros meliores quam Ciceronis fuisse demonstratum est. Nec probare possum, quod p. 93, 1 *tam familiarem*, scripturam verissimam et elegantissimam, eicit. Sententiarum enim ratio haec est. Cum tam familiariter in itinere se adplicaverit, mirum profecto est, quod hominem, quem tanta familiaritate esset prosecutus, tam aequo animo et tam celeriter reliquerit. Knackstedtum nempe in errorem induxit infelicissima Kayseri coniectura.

Nondum persanata sunt, quae habentur p. 107, 16—18. Ibi haec tantummodo M: *hoc causae genus oportebit adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta*. Et hoc unum enuntiatum servari vult Knackstedt. At primum illa verba non unius lemmatis sunt, sed duobus dispersa sunt, ut nequaquam conicere liceat reliqua verba non ante oculos fuisse Victorino. Deinde illa conformatio sententiae *habere* potius quam *adhibere* requireret. Quae dicendi ratio tam insolens est, ut Knackstedt etiam ante *hoc causae genus* praepositionem *ad* inserere voluerit. Denique non perspicuum est, quem ad modum glossema ortum esse credamus. Quae cum ita sint, illa ratione secandi nihil opinor ad emendationem proficitur.

Memorabile est p. 102, 9 Knackstedtum haec verba: *hoc est, si aut cum eo agatur, quocum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere* eicienda esse censere. Sane ista suspitionem movent gravissimam: omissio eorum orationem reddit simpliciorem et elegantiorem. Sed tamen non ab M praetermissa, sed omissa esse ab 𝔐, levius est quam ut optimi cuiusque libri Tulliani auctoritatem posthaberi posse ducam.

Postremum est quod Knackstedt p. 27, 18 aut ipsum *quo in proxime desitum erit*, aut, cum huius anastrophae nullum re-

periatur exemplum, *quo in proximo* scribi posse iudicavit. Haec commemorasse sat est.

VI.

Restat ut, qualis librorum VPS natura sit et proprietas, paucis exponatur. Nam ut emendatio omnis, nisi exploratis codicum testimoniis nitatur, incerta et lubrica est, ita, si quo loco pristina scriptura ex vitiorum vestigiis elicienda videbitur coniectura, nisi propriam cuiusque codicis aut archetypi varietatem examinaveris, iudicium saepe numero vacillabit. Veluti p. 62, 1 quod contempta codicum lectione *videatur* corrigendum putavimus *videtur*, cum coniunctivus modus aliqua ratione sustineatur, haud paucis audacter aut libidinose factum videatur. Sed qui secum reputaverit, fere semper in C modos numerosve ad proxima quaeque adcommodatos esse, cum *antecessit* mutatum in *ante sit* traxerit coniunctivum, illam coniecturam pro emendatione haberi oportere concedet. Aut quod *quamque* p. 27, 13 ex dittographia, i. e. ex *quamquam*, ortum esse dixi, hoc quis non primo obtutu addubitaverit? At qui varietates relativarum formarum, quae et quot in C occurrant, consideraverit, illud fieri potuisse non pernegabit.

Quare non alienum videtur si non describi at adumbrari conspicua in VPS vitiorum genera. Nam omnes nugas disponi aut omnes locos numerari nihil sane attinet.

Licet autem hanc disputationem in tres partes tribuere. Nam aut lacunis aut additamentis aut commutationibus litterarum syllabarum verborum veteris scripturae integritas corrumpi solebat.

1. Ac maiores codicum C lacunas supra iam indicavimus. Pertinent autem huc etiam singulorum enuntiatorum pluriumve verborum omissiones, quae rarius in P, multo saepius in VS deprehensae sunt.

Sunt autem lacunae in P^1 97, 24; 108, 10; 139, 12; in S^1: 22, 15; 36, 11; 45, 6; 49, 12; 67, 15; 14, 22; 62, 17; 116, 5; 117, 24; 121, 8; 122, 5; 131, 11. 26; 133, 27; in VS^1: 63, 27; 66, 11; 72, 17; 120, 20; in V^1: 26, 2; 33, 20; 14, 23; 97, 25; 112, 28; 126, 20; 129, 26; 116, 1; 120, 17; 144, 10; VP^1S: 59, 18; transpositiones simul in VS: 25, 2; 56, 25; 65, 19; in C: 38, 9.

Hinc apparet plurimas omissiones esse in S easque omnes suppletas esse in margine m. 2. Cum igitur V non omnes lacunas suppletas habeat, codicem S ex alio fonte correctum et suppletum esse sequitur. Denique elucet aliquot locis sententias in archetypo omissas ex margine in contextum iniquo loco translatas esse, cf. 38, 9; 25, 2; 56, 25. Ceterum de P, qualis fuerit, quoniam non satis accurate excussus est, certo iudicari non potest. Verborum in VPS omissorum numerus par videtur esse. Hoc in genere saepius consentit VS, numquam vero, quantum vidi, PS; saepissime tamen eadem omissio in C recurrit.

Omissa igitur sunt in V: *ex* 17, 8; *in* 17, 7; 17, 14; 79, 12; 111, 17; *non* 25, 7; 92, 6; *partes* 13, 23; *genus* 17, 15; *partim* 90, 20; *est* 15, 21; 71, 5; *esse* 139, 20; *efficere oportebit* 21, 5; *animus* 23, 2; *quam* 25, 6; *videtur* 28, 1; *de quibus* 30, 22; *autem* 50, 8; *aut* 65, 17; 145, 24; 67, 22; *ab* 71, 7; *ad* 77, 3; *indignationem conquestionem* 68, 8; *sit* 69, 12; 129, 3; *scripto* 130, 12; *et* 98, 10; 102, 28; *neque* 93, 11; *conparabunt* 107, 20; *confirmare* 136, 15; *rara* 89, 10.

Praeterea in P: *plus* 3, 2; *in* 36, 16; 91, 12; 47, 24; 21, 17; 23, 4; *si* 14, 3; *est* 22, 14; 41, 9; 60, 6; 116, 22; 144, 13; 65, 19; *esse* 41, 20; *genera* 17, 9; *non est factum* 19, 3; *ita primum* 19, 8; *eorum* 21, 25; *eius* 138, 7; *qui* 61, 22; *tum* 41, 22; *ne* 47, 16; *necne* 115, 16; *quam cogebatur* 62, 23; *enim* 66, 8; *a* 73, 26; *ad* 113, 5; *cur* 94, 8; *solus* 81, 7; *ratio* 87, 1; *posse* 126, 10; *milite* 128, 15; *leges* 139, 15; *minores* 91, 22; *aut incredibilem* 92, 11.

Denique in S: *ex* 60, 3; 63, 2; 80, 9; *in* 4, 19; 9, 8; 102, 19; 67, 10; *a* 6, 2; *ad* 113, 24; *eam* 4, 20; *is* 111, 1; *hoc* 95, 14; *hanc* 146, 3; *istine* 132, 18; *non* 10, 5; *nos* 105, 15; *totum* 63, 26; *aut* 66, 17; *autem* 103, 15; *verum* 67, 4; *umquam* 72, 6; *et* 119, 11; *esse* 119, 9; *argumento* 106, 24; *maleficium* 108, 20; *cum* 114, 16; *sit* 136, 26; *re* 126, 24.

In VS: *et* 63, 22; 115, 10; *per* 63, 1; *si* 63, 24; 66, 27; *est* 74, 3; 142, 25; *alia constitutione* 113, 20; *religionem* 75, 7; *id* 137, 22; *in* 102, 8; *quae* 145, 9; *inter* 101, 20.

Postremo deest in C: *ex* 4, 8; *et* 12, 4; 34, 10; *consiliorum* 7, 10; *nomen* 12, 12; *omnino* 12, 23; *est* 25, 15; 65, 1; 65, 6; *esse* 73, 3; *persona* 21, 10; *te* 23, 7; *an infelix* 34, 17; *se* 42, 17; 75, 9; *oportebit autem* 43, 15; *autem* 72, 16; *licebit* 68, 23;

unus 64, 18; 77, 1; *que* 63, 1; *quam* 132, 5; *id* 60, 6; *in* 145, 20; *genus* 141, 12; *eadem in* 80, 8; *commodi* 82, 10; *attinere* 90, 15; *ne* 94, 10; *rebus* 92, 1; 39, 8; Cf. praeterea 93, 2; 95, 18. In hoc numero multa iam suppleverunt libri deteriores, haud exigua pars ad emendandum relinquitur.

Quem ad modum in codicibus plena vocabula omissa sunt incuria, sic etiam syllabis aut litteris casu quodam interceptis haud raro oratio depravata est. Ita reperitur *iudiciale* = *iuridiciale* 13, 3; 15, 7; *medicre* = *mediocre* 13, 4; *praeteriemus* = *praeterierimus* 13, 5; *exdiri* = *exordiri* 19, 21; *auctorem* = *auditorem* 20, 10; *qua* = *quadam* syllaba *di* subsequente 20, 11; *quid* = *quadam* 102, 2; *quam* = *tamquam* 31, 12; 84, 24; *pollicemur* = *pollicebimur* 22, 7; 59, 23; *adcommodatur* = *adcommodabitur* 127, 20; *vidéntur* = *viderentur* 32, 5; *gessit* = *gessisset* 42, 18; *ante sit* = *antecessit* 62, 1; *persuade* = *persuadere* 130, 18. 20. 28; *delibari* = *deliberari* 124, 23 (cf. 147, 22); *probat* = *probabat* 120, 23; *probet* = *prohibet* 126, 11; *ostendimus* = *ostendendum* 98, 15; *praecipuum* = *praecipiundum* 95, 2; *quaere, quaeri* = *quaerere* 92, 13; *tractum* = *detractum* 88, 16; *fuisse, affuisse* = *adfuisse* 84, 9; *vel intellegere* = *velint intellegere* 77, 23; *propter quod* = *propterea quod* 24, 19; *partio* = *partitio* 30, 16; *contio* = *contentio* 138, 21; *nam et* = *navem et* 140, 16; *an iuria* = *an iniuria* 34, 17; *amplicatio* = *amplificatio* 127, 13; *mulieris* = *muliebris* 75, 8; *suspionis* = *suspitionis* 87, 1; *avaria* = *avaritia* 88, 11; 89, 19; *amicias* = *amicitias* 144, 22; *inimiciae* = *inimicitiae* 106, 8; *testato* = *testamento* 103, 1; *conparali* = *conparabili* 38, 13; *sibi* = *ipse (ibse)* 45, 14; *ut quae* = *ut aliquae* 57, 18, cf. 58, 18; *aliquem* = *aliqui quem* 58, 16; *aliaque* = *alia quae* 58, 2; *q;* excidit ante *p* 63, 1, ibidem *per* post *partem; ita* = *itaque* 76, 17; *quidem* = *qui aliquem* 88, 5; *cum (quom)* = *quidem* 129, 1; *nobis* = *nobilis* 86, 21; *postea* = *oporteatne* 132, 2; *probabili* = *pro probabili* 58, 11; fere semper *quin* = *qui in, quod* = *quoad* (140, 9); *sin* = *si in* 64, 1. Sed infinitum est omnia ista peccata scriptorum enumerare; id quidem apparet archetypum iam multis locis vel depravatum vel correctum fuisse, haud exiguam autem vitiorum partem a librariis prioribus codicum C admissam, dein a correctoribus sublatam esse.

Hoc in genere fieri non poterat, quin librarii, quod scrip-

turae non conprehendissent animo, omnino praetermitterent, cf. 87, 16; ven(i)erit 61, 18; 43, 18; 47, 1; 40, 5; 19, 8; 7, 2; 14, 11; 88, 17; 93, 11; 92, 21; 68, 16 (*ad = id*); 26, 22.

Nec raro fiebat, ut duo vocabula quasi in unum coalescerent, cf. 81, 10: *vagineducit = vagina educit;* 82, 4: *videbitur = videtur ut;* 83, 20: *quod quod = qui id quod;* 88, 14: *illam rem = illa iam re;* 98, 26: *eis concessis = ea si concessa sit;* 99, 7: *simile ratione = simili erit ratione;* 96, 12: *ipsorum = ipsa eorum;* 101, 21: *infirmationis = infirmatio rationis;* 106, 12: *ageretur = agimus cognosceretur;* 114, 8: *honestate = honestatis ratione;* 111, 7: *deo = de eo;* 109, 2: *illud = id quod;* 116, 4: *partibus = artis partibus;* 127, 24: *quassolent = quae assolent;* 135, 27: *conscriptum = contra scriptum.*

Haec exempla qui consideraverit, eum non fugiet illa scripturae vitia e vestigio secutam esse interpolationem, cf. 106, 12; 116, 4; 109, 2; 101, 21.

2. Additamentis scilicet omnium maxime Ciceronis oratio depravata est. Quae depravatio quam late in his libris serpat, vix credibile est. Hoc ut planius cognoscatur, primum eos locos congerere conabimur, quibus duplex scripturae genus etiamnunc oculis cernitur, veluti 100, 18; 3, 13; 4, 18; 10, 5; 13, 5; 16, 15: *obtetractione;* 18, 11: *confirmatione*$^{inf.}$, unde influxit: *infirmatione et confirmatione;* nam *infirmatio* et *confirmatio* etiam 123, 12 commutata inveniuntur. Huc pertinet 105, 20: *negotiali simplicitate,* natum ex *negotialis implicate*^{it}; 22, 10: *et cum,* ex *quē t quō*$_{intellecta}$; 28, 4: *longius,* ex *longis*^{u}; 31, 4: *aperta intellecta,* ex *aperta;* 31, 20 *et cum* natum videtur ex conpendiis *t̄*, *c̄*, cum alterum alteri suprascriptum esset; 33, 11 *vel tractatis* ortum est ex *tractis vel tractatis,* nisi malis inversum ordinem, cf. 34, 7; 87, 7: *quę*$^{t\ ū}$ pro *quom* natum est *eius que;* 88, 3 cum *alica causa* abiisset in *in causa,* ut paulo ante *aliquo in* mutatum est in *in quo in,* accidit ut ceteri librarii *aliqua,* quod suprascriptum fuerat, nomini *causa* postponerent; 44, 15: *tuum*^{uirū} *= tuum virum;* 90, 17: *instit*^{e} abiit in *instetit;* 49, 23 *videatur* ex *vidatur*^{e} explicari potest; itemque 50, 1 *et theofrasto* additum est ex 49, 24; 104, 14 *et nostris qui* ortum est ex *et qui* sup. l. *nostris* addito; 61, 2 *cum conversione* coaluit ex *cum*^{con} *versione;* 84, 10 *ceteraq*^{uae};

abiit in *ceteraque quae;* 93, 4 eodem modo *temere* ex versu sequenti sumptum ad *ita* adscriptum est; 128, 25 *defendit et* originem habet in *defendit;* 131, 22: *quos sepius etius* = *quo sepius;* 140, 10 *ibidem in navi* = *ibidem*, sc. *in navi;* 148, 22 *et ex contrarias* = *et contrarias;* 132, 19 *eius rei* = *eius*, sc. *rei.* Cf. praeterea 109, 16 *utrorumque,* 113, 8 *in aliud,* sc. *crimen.*

Etiamnunc in codicibus nostris glossae modo in margine modo supra versus adscriptae inveniuntur, velut 5, 8 in P *habilitas* ad *commoditas,* 6, 9 in PS *non iniuria* ad *nimirum,* 5, 27 in S *perversas* ad *parvas,* 6, 3 in S *incussit,* 101, 20 in S *exceptione* ad *praeiudicium,* 118, 24 *dimissum* ad *ignotum,* 94, 19 *tormenta* ad *quaestiones,* 21, 24 in V *adulatio* ad *assentatio,* 35, 2 *aliquam, quamcumque* ad *quamvis,* cf. 35, 8; 39, 13 *imitatores* ad *aemuli,* 84, 4 *principium* ad *caput,* 114, 24 *assumptiva specie* ad *assumptivis,* 132, 1 *causa* ad *propter quam (rem).*

Sed istae glossae archetypo recentiores facile agnoscuntur. Multo difficilius est glossemata vetustiora deprehendere, quae iam in archetypo vel in contextum se insinuaverant, vel supra versus adiecta fuerant, vel a marginibus addita erant. Nec facile unum aliquod additamentorum genus cogitari potest, quod non in verba Ciceronis irrepserit.

Interpolatio et in archetypo et in libris ex eo derivatis multum grassata est, cf. 9, 2; 11, 8; 13, 6; 16, 7. Atque singulorum librorum additamenta facile ceterorum librorum conparatione coarguuntur, veluti emblemata codicis S: *nam* 3, 8; *ut [si]* 8, 15; *[dis]tribui* 12, 4; 15, 12, cf. 81, 22; *iuris* pro *iure consulti* 15, 11; *[reus] maiestatis* 97, 19; *sumitur* pro *expolitur* 49, 27; aut codicis P: *rebus* 7, 2; *sumi poterunt — sumentur; [dis]tribuere* 41, 26; *ipsum [per se]* 107, 1; aut cum P tantummodo consentit cum ω, ut 30, 23; 57, 24; 114, 8. 12; 80, 25; 93, 2; aut PS: *initium* 4, 6; *rerum* 7, 10; *in causa* 19, 7; *solum* 41, 4; *statim* 24, 9, cf. 138, 2; aut etiam PSV^2, ut *praeceptis* 13, 7; *aut [si]* 58, 9; *hunc* 34, 19; *ipsa [et]* 15, 12. Nam istuc *et* saepius ad usum argenteae latinitatis additum est, quasi sine eo oratio intellegi non posset, cf. 92, 7: *sunt autem [et] aliae suspitiones;* 96, 1: *nam [et] tum;* 103, 18 *[et] de altera;* 105, 14: *[et] in hac et in omnibus,* quemadmodum saepius *aut* inculcatum est, cf. 105, 6; 123, 6; 124, 18; denique *neque* —

quidem pro *ne — quidem* uno aliquo loco, aut *sicut [et]* 78, 3. Praeterea VP 34, 8; 33, 12; aut VS: 11, 21; 37, 11; 115, 12; 127, 22. Facile etiam deteguntur tituli, velut 80, 17; 111, 5; aut additamenta aliter in aliis libris constituta, ut 11, 18—19; 14, 22, cf. 16, 15; 15, 24; 60, 10; 57, 13; 18, 14; 30, 1; 31, 16.

Multo difficilior res est, cum iam in archetypo additamenta quaedam in ipsum verborum ordinem irrepserant, veluti 82, 2; 88, 10; 118, 11; 120, 18; 121, 15; 129, 11; 122, 11. Huc pertinet longa series rhetoricarum adnotationum, cf. 107, 11; 109, 16; 9, 11; 13, 19; 13, 25; 14, 6; 17, 3. 19; 18, 9; 106, 20; 82, 3; 84, 17; 48, 24; 57, 15; 60, 19; 80, 5; 91, 24; 142, 30; 116, 4.

Denique haud pauca emblemata ex Victorini aliorumve rhetorum commentariis in Ciceronis orationem irrepsisse manifestum est, cf. 96, 1; 81, 22; 14, 17; 90, 11; 94, 19; 99, 14; 121, 17.

Accidit nimirum illud etiam, ut verba in contextu omissa aut in margine aut inter versus subnotarentur, cf. 3, 6; 5, 4; 18, 5. Hinc praeter alios maxime in conlocatione verborum errores nascebantur, cf. *rerum* 7, 10; *coffici, offici, officio* 8, 8; *verborum et rerum* 10, 16; *demonstratio et deliberatio* 14, 7; *divitiae* 21, 18; *ipsis* 22, 1; maximeque in hac ratione memorabile est 25, 2; 34, 2; 56, 25; 60, 3. Praeterea cf. 38, 7. 9; 26, 12: *afictu = fictu*; 27, 4: *speratio = īsperato; eius* 27, 11; 32, 15; *dividentur* 33, 7; *aut* 35, 11; 44, 7; 64, 25: *a communi = communia;* 58, 8 *ex;* 78, 23; 91, 4; 92, 1: *negotiis quas = quas negotiis.* Denique 93, 6, quod est in VS[1] *partim* pro *vel,* signo videtur esse, verba *vel a fortuna administrari* a rhetore quodam inventa et addita esse.

Ne Christianorum quidem opiniones desunt paganorum sententiis adversariae, cf. 146, 7. Syllabae etiam scribentium errore aut inscitia haud raro auctae sunt, veluti *docibilis = docilis* 19, 21; 21, 5; *supplicationes — suspitiones* 21, 12; *vestimentum = vestitum* 26, 21; *quaereretur = quaeretur* 34, 18; *eodem = eo* 38, 15; 58, 7; *perspiciamus = perspiciatur* 56, 27; *infirmare = infirmum* 61, 9; *Corotoniatae* 76, 1; *argumentatoris = argumentorum* 81, 19; 85, 4; *tantam = tam* 84, 6; *dereliquerit = deliquerit* 89, 2; *induceretur = inducetur* 89, 20; *gestione negotii = gesti negotii* 94, 3; *huiuscemodi = huiusmodi* 105, 22, quod est

vitium vulgare ut *tunc* = *tum* in libris deterioribus; *demonstrādum* = *demonstrare* 127, 12; *in natura* = *innata* 142, 18.

Huiusmodi errores nascebantur plurimi ex dittographia, quam dicunt, cf. 93, 17: *[in] infinitum;* 24, 14: *nunc quidem* = *nunc,* cum superiore versu *quidem* antecesserit, cf. 49, 27; *extet [et] nos* 126, 9; *ut [in] digni* 123, 8; *et [in] utilitate* 140, 28; *qui[d] pulcritudinis* 76, 13; *nutritus, nututus, natus* 61, 13; *quaereret [et] id* 45, 11; *inquid [quid]* 44, 14; *[et] ex* 35, 4; *quamque* = *quam* 27, 13; *[et id] et quid* 12, 20.

Causa mendorum etiam erat, quod librarii, cum verborum nexum aut structuram parum intellegerent, haec ad proxima quaeque adcommodarent, ut 103, 13 *pluris* ad *pecuniae;* 128, 3 *aliquam* ad *sententiam;* 128, 7 *in qua* ad *sententiam,* cf. 110, 14; 106, 1 *causae* ad *declarandae;* 112, 3 *ponenda* ad *conquestione;* 114, 16 *ceterae vitae* omisso *cum* ad *consentaneum;* 119, 2 *futuram* ad *permagnam;* 125, 21 *accipiendam* ad *sententiam;* 134, 11 *qui* ad *eum;* 101, 1 *consistat* ad *oportet* corruptum ex *poterat;* 99, 21 *commutari conari;* 93, 7 *adiutoris* ad *adiumenta;* 90, 10 *dicentur* suprascr. *et* ad *turpitudines;* 89, 10 *aliquo* ad *magno labore;* 85, 10 *conparandum* ad *quod subeatur;* 77, 17: *usque ad principem* = *usque ab principe;* cf. 80, 16; 63, 6 *mercatori* propter *operam non daretis;* 60, 6 *quod agatur* = *quo de agatur;* 94, 17 *probabilis* propter *pars;* 41, 21 *portorium* pro *portum* propter *locare;* 32, 5 *videbantur* propter *inveniebamus;* 14, 3 *dicit* propter *quam,* cf. 12, 12—13; 16, 12—13.

3. Tertium vitiorum genus est in verborum syllabarum litterarum varia commutatione. Quae ut melius perspiciatur, exordiamur a litterarum et a compendiorum usu. In vocalium ratione invenitur *a* pro *ae* et rursus *ae* pro *a,* cf. 4, 1; 15, 10; 22, 15; 29, 20; 25, 10; 39, 9; 91, 4; *a* pro *ad,* cf. 10, 14; 16, 20; 21, 11; 24, 6: *a* — *am* et *am* = *a,* cf. 16, 13; 23, 11; 43, 9; 47, 27; 43, 15, ut saepissime *m* modo omissa modo addita habetur, cf. 127, 3; 40, 3; 26, 21; 86, 10; 88, 4; 94, 9; 100, 5; 101, 7; 104, 22; 123, 4; 129, 6; 135, 9. Occurrit praeterea *a* = *i,* cf. 18, 22; 26, 12; 89, 1; 126, 11; 127, 4, et item *i* = *a,* cf. 21, 18; 23, 9; 24, 20; 134, 2; 143, 20. Hinc ortum est *et in* — *etiam* 43, 18, *in* = *ab* 87, 17, cf. 88, 3, *in* = *aũ* = *autem* 109, 15, *in* = *aut* 114, 25. Permutantur etiam *a* et *e,* cf. 20, 10; 20, 12; 82, 1; *am* = *em* 61, 23; 36, 6; *am* =

im 33, 8; *a* = *au* 23, 16; *a* = *u* 93, 6; 126, 18; 24, 7; 40, 3; rursus *u* = *a* 24, 8; 26, 12; 113, 5; 132, 13; 134, 26; *a* = *o* 5, 27, et *o* = *a* 38, 17; 45, 3; 77, 20.

Nihil saepius mutatur quam *e* = *i*, cf. 12, 18. 19; 15, 23; 17, 15; 18, 15; 19, 2. 6; 25, 19; 26, 6; 60, 4; 78, 7; 82, 9; 90, 12; aut *i* = *e*, cf. 18, 15; 22, 1. 2; 23, 9; 24, 23; 29, 5; 34, 7; 49, 5; *es* ergo = *is*, cf. 70, 11; 39, 12; 40, 1; 43, 9; 126, 15, et *is* = *es*, cf. 16, 16; 19, 5; 78, 5; 130, 17; *e* = *o* 77, 66, et invicem *o* = *e*, cf. 78, 24; 90, 6; 95, 9; 96, 7; 126, 8; *ae* = *e* 29, 24; 37, 3; 48, 23; *ec* = *a* 6, 3; *ic* = *a* 6, 3.

Praeterea commutantur *u* et *i*, cf. 21, 3; 90, 21; 91, 5; 93, 7; 117, 3; *u* et *o*, cf. 92, 9; 99, 5; 126, 5; *u* et *au*, cf. 23, 1; 25, 19; 35, 2; *u* et *n* 137, 9; *ur* et *er* 36, 1; 78, 22.

Ex his exemplis facile apparet, verbi quoque modorum admodum incertam esse traditionem nec eorum aliam esse regulam nisi rationem et conparationem. Commutantur enim saepissime verba, quae desinunt in *-itur*, *-atur*, *-etur*, cf. 40, 19; 43, 8; 62, 15. 17; 127, 1; aut in *-it*, *-at*, *-et*, cf. 41, 6; 93, 9; 99, 16; 102, 22; 126, 18; aut in *-it*, *-et*, cf. 42, 15; 43, 10; 45, 7; 59, 19; 61, 19; 89, 9. 18; 92, 21; 123, 3; 108, 8; 110, 14; 116, 25; aut in *-at*, *-et*, cf. 47, 5. 23; 98, 7; 100, 14; 111, 10; 111, 21, aut quae exeunt in *-ret*, *-rit*, cf. 60, 8; 112, 15; 113, 4; in *-untur*, *-entur*, cf. 97, 1; in *ent* = *erit*, cf. 98, 8; 105, 24; 111, 4; denique *-ebit* = *-et*, cf. 108, 22; 109, 4; 127, 20.

Consonantes etiam suos errores habent: *b* = *v*, cf. 24, 2; 101, 9—10; *ce* = *g*, cf. 97, 17; *ct* = *tt* 29, 21; *d* = *b*, velut *ad* = *ab*, cf. 85, 1; 94, 3; 77, 17; 80, 16; *d* = *cl*, cf. 100, 15; *d* = *t* 126, 15; *d* = *p* 145, 19; *d* = *q* 148, 2; *ff* = *d* 136, 26; *g* = *c* 83, 26; *h* = *c* 132, 15; 140, 29; *li* = *ni* 61, 9; *l* = *i* 126, 9; *n* = *u* 23, 20; 27, 2; *n* = *p* 35, 8; *n* = *s* 129, 11; *q* = *d* 148, 2; *qu* = *u* 100, 9; 138, 6; 140, 18; *r* = *s* 125, 23; *rr* = *r* 79, 6. 15; *s* = *r* 31, 11; *sc* = *v* 121, 7; *t* = *d* 24, 4; *t* = *e* 127, 18; 129, 23; *t* = *i* 135, 10; 137, 5; 138, 2; *vi* = *iu* 145, 1.

Multo plura menda conpendiorum varietates attulerunt: *nunc* — *vero* 3, 13; *ñ* — *ne* 46, 3; 79, 7; *non* — *nunc* 64, 8; 124, 6; *nullam* — *ñ aliam* 27, 14; *nullo* — *ñ illo* 103, 17; *omnes* — *homines* 42, 12; *prae* — *per* — *pro* 32, 6; 62, 13; 49, 14;

priore = *pro re* 23, 1; *pecoris* = *praetoris* 100, 15, cf. 104, 26; *quid* — *quod* 91, 24; 105, 10; 115, 3; 39, 5; 62, 27; 82, 25; 130, 7; *quidque* — *quodque* 27, 18; 59, 9; 77, 6; *aliquid* — *aliquod* 39, 17; 117, 4; 106, 26; *aliquot* — *aliquid* 96, 7; *quoddam* — *quiddam* 85, 2; *quamque* — *quamquam* 85, 13; *relinquimus* — *relinquerimus* 12, 7, cf. 49, 4; 123, 12; *sin* — *si non* 20, 13; *se* — *suae* 21 20; *si* — *sed* 61, 14; 40, 16; 93, 15; *sit* — *st* — *est* 27, 15; 48, 15; 129, 3; 137, 8; *sitis* — *estis* 131, 13; *sic* — *sicut* — *si aut* 114, 1; 107, 20; *tunc* = *tamen* 79, 24; 85, 3; 112, 23; 117, 9. 24; 120, 8. 11; 123, 8; 129, 14; 133, 4; 134, 16; 139, 15; *tum* = *tamen* 61, 5; 114, 24, 117, 9; *tamen* — *tantum* 43, 10; 79, 16; *ut* — *vel*; *unum* — *videtur* 33, 10; *utrum* — *verum* 59, 2, cf. Cornif. II 15; *utrum* — *ut non* 92, 15; *uerum* — *ut* 92, 18; *ue* — *uero* 60, 14; *utique* — *utraque* 29, 24; *aut* — *autem* 13, 15; 23, 15; 38, 3; 42, 4, cf. 141, 11; *aut* — *at* 132, 5; 148, 12; 116, 17; *at* — *autem* 64, 4; 129, 25; *aut* — *ut* 35, 1—2; 42, 13; 58, 16; *aut* — *an* 94, 10; *aliud* — *aut* 80, 1; *dein* = *deiñ* = *deinde* 118, 7; *deinde* — *denique* 89, 13; 91, 8, 19; *eŕ* = *erunt* 140, 29; 99, 5; *ẽ (est)* — *ẽẽ (esse)* 93, 11; 85, 11; *ea* — *esse* 114, 10; *esse* — *esset* 113, 6; 123, 28; 138, 24; *et* — *etiam* 60, 6; *et* — *aut* 36, 17; 38, 4; 44, 12; 106, 19; *et* — *ut* 94, 22; 107, 4; $\dot{g}$ *(igitur)* — $\overset{o}{g}$ *(ergo)* 91, 2; *h'* = *haec* 18, 5; 120, 16; *h'* = *autem* 37, 18; 34, 19; 43, 6; 139, 4; 148, 27; 99, 3; 100, 6; 119, 11 (*hoc* — *aut* 118, 12); *inscitia* — *inscientia* 4, 15; *iterum* — *item* 5, 16; 29, 10; *incipe* = *incipere* 24, 5; *in* = $\overset{o}{m}$ *(modo)* 27, 18; 119, 16; *in* = *et ñ* 47, 28; *inf.* = *conf.* 123, 12; *idem* = *id est* 118, 10; *honore* = *homine rem* 23, 1.

Pronuntiatio Romanensium ferebat, ut, cum *n* voce saepius reprimeretur, haec littera in scriptura modo omitteretur modo adderetur, ut quae antecederet vocalis produceretur. Huc pertinet *iocudissima* 5, 14; *coniucte* 11, 3; 16, 26; *hic* = *hinc* 6, 9; 8, 21; *relinquisse* 12, 7; 139, 25; *trasfertur* = 15, 26; *coceditur* 19, 1; *colocare* 143, 11; *coveniat* 30, 8; *-ens* = *es* 32, 13; *contentio* = *contemptio* 20, 18; *defensi* = *defessi* 22, 19; 24, 11; *eadem* = *eandem* 19, 3; 49, 18; *hanc* = *hac* 92, 13; *quandam* = *quadam* 97, 23; *sequatur* = *sequantur* 131, 15. 27; *sit* = *sint* 9, 16, aliaque multa id genus.

Raro omissa est aspiratio in principio vocabulorum: *onesta* 7, 8; 136, 18; *orae = horae* 37, 9; *ab ostibus* 107, 3; 110, 15; 128, 13; *oratius* 110, 5. 14; *ostia — hostia* 117, 10; *abitum* 34, 19; *ad unc* 48, 4. Rarius etiam addita invenitur vocabulorum initiis: *habundare* 135, 21; *nihil hominus* 7, 3, nec usquam *nihilo minus* sed constanter *nihil ominus* scriptum est; fere semper *hi = ii (ei), his = eis, is,* rarius *his* pro nominativo *is,* aut *ipse his = ipsis* 7, 17; *hae — eae* 10, 10; 33, 19; *horum eorum* 25, 11; *haec quae = ecquae* 131, 4.

In mediis vocabulis aspirationem addunt, in *tropheo* codices deteriores 105, 24; 106, 2; in *pulcher* constanter omnes libri contra ipsius Ciceronis testimonium Or. 160: *quin ego ipse, cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut „pulcros Cetegos triumpos Kartaginem" dicerem; aliquando idque sero, convitio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.*

At enim vero antiquitas scripturae Tullianae paene omnis nostrorum codicum memoria iam evanuerat. Relinquuntur exigua et exilia vestigia, ut *ec, ecs = ex* 10, 7; 39, 7. 23; *haec = hae* 59, 6; 102, 12; 39, 21; *aliquae = aliqua* 57, 18; *sed = se* 83, 27; *ecdicere* 104, 26; *legaront* 113, 10; *quoius* 59, 19; *quoique* 105, 5; *quod = quo* 133, 18; 39, 10; 45, 19; 64, 2; 61, 18; 119, 24; *quom* 92, 16; 111, 17; 16, 2; *necessum,* cf. ad 89, 2.

Saepe accidit, ut syllabae permixtae transponerentur, ut *accedit = accidet* 29, 6; *iniecimus = iniciemus* 91, 14; *exiret = exierit* 93, 1; *conveniret = convenerit* 111, 24; *veneremur = reveremur* 104, 16; *antestiterunt = antisteterunt,* id quod est in fragmento codicis Augustei, *hoc modo = h' (hoc) commode* 61, 16; *reguntur — geruntur* 48, 5; *conprobabile = conparabile* 42, 18; *munerari = numerari* 75, 2; *praedicta, praefata = praecepta* 139, 12; 78, 11; *oportet = poterat* 101, 1; 110, 26.

Denique memorari attinet praepositionem Graeco more nomini suo adsimilitatam, *implerisque* 105, 2; et menda aliquot ex transcriptione uncialium litterarum orta, cf. *forte = foris* 106, 24; *dictis = dictio* 111, 26; *oratorio = oratoris* 57, 7; *inducontur = inducentur* 111, 27; *si = ex (ec)* 133, 16; 60, 10; *con = ec* 145, 7.

Restat ut commutationes cum aliorum vocabulorum tum relativorum unum sub aspectum subiciamus.

Commutantur igitur: *at* — *atque* 33, 20; *atque* — *atqui* 134, 16; *aliquam* = *aliam* 64, 7; *aliis* — *illis* 81, 11; *ante* — *omne* 94, 8; *autem* — *enim* 96, 5; *causa* — *casu* 43, 2; *confirmatio* — *conformatio* 123, 3; *commemorari* — *commorari* 129, 15; *conferri* — *confieri* 145, 26; *cur* — *cum* 131, 22; *ex (ec)* — *et* 41, 5; 59, 20; 95, 8; 112, 24; *enim* — *eum* 60, 20; *et* — *eum* 96, 19; *eum* — *autem* 60, 22; *eum* — *reum* 101, 3. 6; *erat* — *restat* 92, 1; *expectari* — *spectari* 84, 1; 134, 21; *exoratio* — *exornatio* 123, 23; *fecisse* — *fuisse* 89, 19; *forte* — *fore* 112, 9; *his* — *ipsis* 7, 2; *hoc (h')* — *autem, aut* 118, 12; *in* — *nū* 92, 16; *in* — *iā* 96, 9; *enim* — *etiam* 39, 11; *eius* — *etiam* 135, 22; *in* — *aū (autem)* 109, 15; *in* — *aut* 114, 25; *in* — *ut* 119, 28; *in* — *ab* 87, 17; 88, 3; *invento* — *invitio* 77, 3; *laborare* — *elaborare* 108, 10; 148, 6; *nimis* — *minus* 126, 8; *magis* — *maius* 85, 6; *oratio* — *ratio* 35, 13; 79, 7; 137, 16; *operta* — *aperta* 112, 18; *pertinere* — *peruenire* 112, 16; *peruagetur* — *peruulgetur* 124, 14; *postea* — *praeterea* 135, 25; *potuerit* — *poterit* 113, 24; *potuerunt* — *putaverunt* 47, 23; *putant* — *ponunt* 49, 10; *partitione* — *partis ratione* 56, 24; *quidem* — *quiddam* 50, 9; *quare* — *quaq;* 39, 4; *quicumq;* — *quiumq (= umquam)* 77, 13; *quis* — *quasi* 129, 16; *rem* — *reum* 101, 16; 108, 2; *Socrates* — *Isocrates* 78, 8; *utrique* = *ut si qui* 115, 26; *voluptas* — *voluntas* 35, 8.

Relativorum varietates has mihi deprehendisse videor: *que* = *quae* 7, 2; 21, 13; 36, 4; 38, 6; 78, 19; 81, 6; 94, 19; *que* = *quia* 11, 21; *quia* = *quae* 18, 5; *quia* = *quoniam* 11, 14; 36, 18; *quia* = *quod* 5, 15; 8, 8; 11, 18; 30, 10; *qua* = *quia* 11, 21; 97, 12; *quia* = *quam* 108, 11; 112, 16; *que* = *quod* 14, 21; 19, 9; 23, 14; 24, 17; 107, 19; 28, 13; 32, 1. 19; *quę* = *quod* 25, 2; 26, 9; *quę* = *quam* 27, 22; 28, 6. 16; 32, 3; 60, 3; 82, 14; *quę* = *quem* 83, 9; *quae* = *qua* 92, 3; *que* = *qua* 93, 18; 114, 2; *que* = *qui* 47, 23; 57, 19; 86, 2; 98, 3; *quae* = *qui* 89, 7; 95, 1; 96, 9; *qua* = *qui* 46, 8; *quam* = *qui* 42, 8; 45, 15; *quavis* = *quivis* 98, 6; *qui* = *quam* 10, 3; 16, 6. 15; 24, 1; 44, 15; 112, 21; 58, 14. 16; 59, 10; 60, 17; 112, 3; *quem* = *qui* 128, 17; *qui* — *quae* — *qua* 41, 16; *qui* — *quin* 58, 14; *qui* — *quid* 129, 19; *quo* — *qui* 93, 15;

quod — quoq; 12, 13; 17, 13; 58, 14; *quod — quae* 14, 3; 104, 19; *quod — quid* 17, 3; 46, 21. 24; 77, 23; *quod — quom* 92, 16; 16, 2; *quom (cum) — quam* 47, 1; 78, 9; *que — quom (cum)* 111, 17; *quam — quoniam* 11, 14. 21; *quod — quo — quoniam* 133, 18; 36, 18; *qui — quod* 16, 5; 23, 2; 24, 18; 25, 11. 13; 128, 15; 107, 19; *quam — quae* 14, 3; *aliqui — aliquam* 11, 22; *aliquando = aliquañ — aliquam* 15, 2.

Priusquam finem faciam, grates me agere decet A. Laubmanno Monacensi, qui non modo Virceburgensis mihi libri copiam fecit, sed etiam codicis eius, quem ut incertum littera x notavi, originem et numerum indagavit. Est enim non Frisingensis, sed Ratisbonensis Emmeranus FCIV (= Clm 14601) saec. XII 4. min.

Postremo hos errores correxisse non incommodum videbitur: 10, 6 scribe: 7. *est* add. $\mathfrak{M}\omega$; 12, 15 scr. *si qui;* 14, 12: ω (non C) add.; 41, 13: *paratas* $P^2\omega$; 105, 15 delendum *20* ante *nos;* 115, 21 scr. *paulo;* 8, 8 excidit post *confici* W, *officio C.*

Superest ut, qui hac editione maximeque prolegomenis utentur, orem enixo studio, ne offendant, si quid parum perfectum invenerint. Coactus enim eram hunc libellum per multas intermissiones et inter graves curas ac sollicitudines elucubrare.

M. CICERONIS

ARTIS RHETORICAE

LIBRI DUO.

NOTARUM INDEX.

V = codex Wuerzeburgensis, saec. IX. Incipit § 10. Denuo ipsi excussimus.

P = codex Parisinus Reg. Bibl. Nr. 7774 A, saec. IX. Contulit I. Escher.

S = codex Sangallensis, saec. X (in catal. bibl. saec. IX). Ipsi denuo excussimus.

C = codices VPS, idemque signum coniecturae alicuius auctori oppositum denotat *codices omnes*.

ω = codices deteriores aut omnes aut pars eorum.

Δ = Victorini codex Darmstadiensis, saec. VII, in C. Halmii Rhetorum latinorum editione. Raro commemoratur eiusdem Victorini codex Frisingensis (= F), rarius etiam Bambergensis (= B).

M = Marii Victorini lemmata.

𝔐 = Lectio e Victorini interpretatione sumpta.

Ubi C aut VS deficiebant, hos codices adhibuimus, quos proxime ab VS abesse animadvertimus:

A = codex Angelomontanus, saec. XII. Excussit I. G. Baiter.

T = codex Turicensis, saec. XII. Denuo contulerat I. G. Baiter.

x = codex Monacensis, si recte memini olim Frisingensis, saec. XI. Huius codicis satis boni librum I ante hos XVIII annos discipulus quidam strenuus in meum usum contulit.

K = Tauchnitziana Kayseri editio.

W = Weidneri coniectura.

M. TULLII CICERONIS

ARTIS RHETORICAE.

LIBER PRIMUS.*

I. 1. Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostrae rei publicae detrimenta considero et maximarum civitatum veteres animo calamitates conligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum; cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione tum facilius eloquentia conparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii consumit omnem operam in exercitatione dicendi,

---

*Meliores libri et praescriptione et subscriptione carent. Deteriores libri veluti x aut hoc praescriptum habent: M. TVLLII CICERONIS LIB. I. RETHORICORVM INCIPIT, aut RETHORICORVM LIBER PRIOR INCIPIT, ut Leidensis Ecksteini, aut: INCIPIT PROLOGVS RETHORICAE, ut Monacensis Emmeranus. Priscian IX 54 et X 55: *Cicero in I rethoricon*, IX 32: *Cicero rethoricon I (II)*, II 62: *in primo rethoricorum*. Quare quoniam ne Victorinus quidem Ciceroniani libri titulum accurate rettulit, hunc nos ex ipsius Ciceronis verbis restituendum esse putavimus, cf. I 9. II 8. 178. I 33. 86. II 4. Quint. III 6, 64. 1. *Saepe ... eloquentia* (p. 4, 2) M. 2. *plus* om. P. — *homin. attulerit et civ.* M, non item M. — *ac*] *aut* P^2. 4. *civitatium* M. — *colligo* S. 6. *a* M. — *memoria* in mrg. S. 7. *monimentis* S. 8. *nam multas* S, *quam m.* P^2. 9. *amititias* S. 10. *cōp.* S. 13. *vero*] *nunc* Δ^1, *nuncvero* Δ^2.

is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro eis propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

2. Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis sive studii sive exercitationis cuiusdam sive facultatis ab natura profectae considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque ex optimis rationibus profectum. II. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant; cum non divinae religionis, non humani officii ratio colebatur, nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspexerat liberos, non ius aequabile quid utilitatis haberet acceperant. Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit, quae materia et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines [in agris] et in tectis silvestribus abditos ratione quadam conpulit unum in locum et congregavit et eos in unam quamque rem inducens utilem atque honestam primo propter

---

1. *se* Δ^1, *sese* Δ^2. 2. *obpugnare* S. — *patria* P. 3. *eis* W, *his* C. — *is et suis ... videtur* $\mathfrak{M}$. 5. *ac ... eloquentia* M. — *rei* seclusit K, explicavit $\mathfrak{M}$. 6. *artis initium* PS, sc. ex Albino 525, 26. 7. *considerare ... profectum* $\mathfrak{M}$, idemque *ab natura* confirmat. 8. *natum* incl. K. — *ex* add. W, cf. p. Quinct. 85: *ex quo uno haec omnia nata et profecta esse concedit.* — *Nam ... propagabant* (10) M. 10. *modo* PS$\mathfrak{M}$, *more* Alb. Mω, ex Sallustii, ut videtur, exemplo (Cat. 1), quod attulit Victorinus. — *ferino* $P^2S^2\omega$. 12. *non divinae ... acceperant* (14) M. — *cum non* W, *nondum* C Alb., *non* M. — *racio* S. 13. *quisque* P. 14. *asp.* PS, *insp.* $P^2\omega$M. — *acceperant* M, *acceperat* C. Ut perspicua sublectorum variatio, ita erroris origo manifesta est. 15. *insciti*am PS, cf. Madvig de Fin. I 46. 17. *quo ... mansuetos* (p. 5, 2) M (*deinde ... audientis* $\mathfrak{M}$). 18. *materia* Alb., *materia esset* PSK, *materies* M, nam *materia esset* ex *materia et* suprascr. *es* natum videtur. 19. *in* om. Alb.; S in fine paginae. — *inesset* cum Ernestio del. Kayser, nescio an auctoritate Quint. III 2, 4: *in quibus fuisse vim dicendi necesse est.* 20. *eam* om. S^1, s. l. S^2. 21. *in agris* Alb. SMω, *in agros* P, incl. W, cf. Tusc. I 62.

insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris et inmanibus mites reddidit et mansuetos. 3. Ac mihi quidem hoc nec tacita videtur nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret et ad diversas rationes vitae traduceret. Age vero urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere, ut inter quos posset excellere, cum eis se pateretur aequari et sua voluntate a iucundissima consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim optineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata. Postquam vero commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii dicendi copiam consecuta est, tum ingenio freta malitia pervertere urbes et vitas hominum labefactare adsuevit. III. Atque huius quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus.

4. Veri simillimum mihi videtur quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere, sed cum a summis viris maximae res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas contro-

1. *reclamitantes* Δ. 3. *Ac ... causa* (8) M. — *hoc nec tacita videtur* S^1, *vid. hoc nec tac.* cum Alb. PS corr. Mω. 4. *sapientia* in mrg. S. 5. *vitae rationes* Mω. 6. *iustitiam retinere* = Off. II 42. 8. *sed ... amittendam* 𝔐. 9. *qui ... potuit* M. 11. *profecto ... eloquentia* M. — *et suavi* K, errore ut videtur. 13. *eis* K, *his* CM. 14. *ab* M (*a* 𝔐). — *iocud* S. 15. *opt.* SM, cf. Brambach Orthogr. lat. p. 247. 16. *et iterum* S, *et item ... utilitatibus* M. 18. *Postquam ... imitatrix* M. — *commoditas* CM, in P glossa adscripta est *habilitas*. Cf. I 36, p. Quinct. 34: *nec illud mihi adrogabo me posse causam commodius demonstrare quam antea demonstrata sit.* 19. *dicendi ... malitia* 𝔐. 20. *pervertere ... assuevit* M. — *ac vitas* M. — *vias* S^1. 23. *veri sim. ... tempore* M. 25. *nec vero ... accedere* M. — *disertos* S^1, *dissertos* S^2. 26. *arbitror ... homines* M. 27. *perversas* S^1, *parvas* S^2, in mrg. *pravas* S. — *contraversias* P.

versias privatorum accederent. Quibus in controversiis cum saepe a mendacio contra verum stare homines consuescerent, dicendi adsiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter iniurias civium resistere audacibus et opitulari suis quisque necessariis cogeretur. Itaque cum in dicendo saepe par, nonnumquam etiam superior visus esset is, qui omisso studio sapientiae nihil sibi praeter eloquentiam conparasset, fiebat, ut et multitudinis et suo iudicio dignus, qui rem publicam gereret, videretur. Hic nimirum [non iniuria], cum ad gubernacula rei publicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa ac tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta per otium concelebrata ab optimis enituisse, hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse tempore, cum multo vehementius erat retinendum et studiosius adaugendum. 5. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et inproborum temeritas et audacia summo cum rei publicae detrimento, eo studiosius et illis resistendum fuit et rei publicae consulendum. IV. Quod nostrum illum non fugit Catonem neque Laelium neque eorum, ut vere dicam, discipulum Africanum neque Gracchos Africani nepotes: quibus in

---

1. *controversis* S^1. — *cum ... consuescerent* M. 2. *a* om. SM𝔐, Leidensis et Emmeranus, non item P, cuius auctoritatem nisi anteponendam ceteris existimarem, illam scripturam sic defenderem: mendaciis stare i. e. vincere (opp. cadere) homines consuevisse. Sed huic rationi *contra verum* quoque repugnat. — *verom* S^1. 3. *aluit* $S^2\omega$, *icluit* P, *induit* S^1, *incussit* S^3 Leidensis. — *superiores ... civium* incl. K, mihi recte se habere videtur Victorini enarratio: *qui cum interdum contra iustitiam malas causas defenderent, saepe etiam vincerent, coacti sunt sapientes illi reip. intenti civibus ac necessariis suis resistere contra illos callidos ac disertos.* Nam *superiores illi* viri sunt loco fortuna fama praestabiliores. — *superiones* S^1. 5. *cogerentur* ω, v. Madv. Fin. V 42 p. 90. — *itaque ... visus esset* M. 7. *fiebat ... ingeniosissimi* (12) M. 9. *hic* $S^1\Delta$, *hinc* $PS^2\omega$. — *non iniuria* del. Baiter. 11. *suscipit* P^1. 14. *caetera* S. 16. *hoc ... obsolevisse* M et Priscian. IX 54. — *tempore, cum* (= *quom*) W, *tempore quo* S^1P^1, *eo tempore quo* ω, *illo praesertim tempore, quo* 𝔐. 18. *Nam quo ... Catonem* (22) M𝔐. 20. *detrimento* in ras. S. 22. *horum* ω. — *ut vere dicam* = de Or. I 150 et Sorof ad II 15. 23. *quibus ... homines* (7, 13) M𝔐.

hominibus erat summa virtus et summa virtute amplificata auctoritas et, quae et ipsis ornamento et rei publicae praesidio esset, eloquentia. Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim et publice abutuntur, sed eo quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum et communi omnium pernicie plurimum possint; cum praesertim hoc sit unum, quod ad omnes res et privatas et publicas maxime pertineat, hoc tuta, hoc honesta, hoc inlustris, hoc eodem vita iucunda fiat. Nam hinc ad rem publicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium consiliorum praesto est sapientia; hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honos, dignitas confluit; hinc amicis quoque eorum certissimum et tutissimum praesidium conparatur. Ac mihi quidem videntur homines, cum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam conparatur, non alienum est videre, quae dicant ei, qui quaedam eius rei praecepta nobis reliquerunt. Sed antequam de praeceptis oratoriis dicimus, videtur dicendum de genere ipsius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis facilius et expeditius animus unius cuiusque ipsam rationem ac viam artis considerare poterit.

V. 6. Civilis quaedam ratio est, quae multis et magnis ex rebus constat. Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa

---

1. *et summa* Codd., *summa* Δ. 2. *et quae* in ras. Sω, *summa que* Δ, *quae* P. — *et ipsis* W, *et his* S^1, *et his rebus* PΔS^2 in mrg. 3. *nihil hominus* S. 4. *et* ante *privatim* om. MM. — *perverse abutuntur* ω. 6. *pernitie* S. 7. *hoc sit unum* etiam M (M deest) non *hoc unum sit*. — *omnis* Δ, *omnes* Codd. 8. *onesta* S. 9. *fiet* M. — *maxima commoda* M. 10. *omnium consiliorum* W, *omnium rerum* P, *omnium* M, *rerum omnium* M, *omnium praesto est sap. rerum* S. Cf. Halm ad Phil. V 50. 11. *honor* S Frising. Victorini. 12. *et* SΔ, *ac* P. 15. *quod* S^2, *quia* S^1. 17. *hom.... antecellat* M. — *ipsis* MS (sed *is* in ras.), *ipse his* P, *ipse is* ω. — *hoc... conparatur* (19) M. 19. *ei*] *hii* P, *hi* S. 20. *Sed... artis* M. 21. *dicimus* PΔ, *dicamus* Sω. 24. *vi//am* S. 25. *civilis... eloquentia* (p. 8, 1) M, cf. Quint. II 15, 33 et 17, 2.

eloquentia, [quam rhetoricam vocant]. Nam neque cum eis sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere, et ab eis, qui eam putant omnem rhetoris vi et artificio contineri, magnopere dissentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis scientiae partem esse dicamus. Officium autem eius facultatis videtur esse dicere apposite ad persuasionem, finis persuadere dictione. Inter officium et finem hoc interest, quod in officio quid fieri, in fine quid confici conveniat, consideratur. Ut medici officium dicimus esse curare ad sanandum apposite, finem sanare curatione, item oratoris quid officium et quid finem esse dicamus, intellegimus, cum id, quod facere debet, officium esse dicimus, illud, cuius causa facere debet, finem appellamus.

7. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur. Ut medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur, item, quibus in rebus versatur ars et facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus. Has autem res alii plures, alii pauciores existimarunt. Nam Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et inmensam huic artificio materiam subicere videtur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicuius

---

1. *quam .. vocant* incl. W tamquam glossema ex scholiis natum, cf. Vict. 171, 19. 30; 172, 10. — *rethoricam* S et V semper. — *Nam .. contineri* (3) M. — *his* PSM (sicut v. 3). 4. *quare .. facultatem* M. 5. *pon//mus* S, *ponimus* ω. 6. *officium .. dictione* M, cf. Quint. II 15, 5. 6. et 10. *apposite* PS. — *adp. dicere* M, non item 𝔐 nec Quint. — *ad persuadendum* Quint., ut Cic. ipse de Or. I 138. 8. *quod* S^2, *quia* S^1. — *confici* W, *effici* Pluygers (Mnemos. VII 360), cuius rationem confirmat Vict. 173, 25. 9. *curare .. curatione* 𝔐. 11. *intellegimus* sed *i* s. ras. S, *intelligemus* ω. In S^1 erasa videtur *a*. 12. *dicimus* PS, *dicemus* ω. 13. *appellamus* PS, *appellabimus* ω. 14. *materiam .. versatur* M. — *dicemus* Δ. — *ea* om. Δ, non item 𝔐. 15. *ut* P, cf. Vict. 174, 13, *ut si* Sω. 16. *dicimus* K, at non pervagatum usum referre, sed similitudinem fingere Cicero videtur. — *versatur* K. 18. *has .. subministravit* (23) M. 19. *et gorgias* S^2. 21. ante *dicere* add. *oratorem* S^2. — *hi//c* S. 22. *vide///tur* S. 25. *est .. vituperationem* in ras. S.

certae personae laudem aut vituperationem; deliberativum, quod positum in disceptatione civili habet in se sententiae dictionem; iudiciale, quod positum in iudicio habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem. Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripertita versari existimanda est. VI. 8. Nam Hermagoras quidem nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intellegere videtur, qui oratoris materiam in causam et in quaestionem dividat. Causam esse dicit eam, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; quam nos quoque oratori dicimus esse attributam. [Nam tres eas partes, quas ante diximus, supponimus, iudicialem, deliberativam, demonstrativam.] Quaestionem autem eam appellat, quae habeat in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum: Ecquid sit bonum praeter honestatem? Verine sint sensus? Quae sit mundi forma? Quae sit solis magnitudo? Quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas facile omnes intellegere existimamus. Nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intellegimus, eas sicut aliquas parvas res oratori attribuere magna amentia videtur. Quodsi magnam in eis Hermagoras habuisset facultatem studio et disciplina conparatam, videretur fretus sua scientia falsum quiddam constituisse de oratoris artificio et non quid ars,

---

1. *certae .. vit.* M. — *aut laudem* M. — *deliberativom* S^1. — *quod positum .. Herma* (6) om. P^1. 2. *in disceptatione*] *et consultatione* add. mrg. P, *vel in consultatione* s. l. S^2. 3. *aut def.* M. 6. *nam .. videtur* (8) M. 8. *qui*] *quod* M. — *in c. .. div.* M, *causam .. interpos.* (11) M, *quam .. interp.* M. — *et quaest.* Sω, cf. Langen in Leutschii Philol. XXXVI 588. 9. *dicit eam* W, *dicat* M, *dicat rem* PS. 11. *esse* om. M. — *adtr.* S. — *nam .. demonstrativam* incl. K. — *tres eas p.* P^1 (et s. l. *ei causae*) S, *tres ei partes* ω, *huic causae tria genera supp.* M. 12. *demonstrativam* om. P^1. 15. *ecquid .. hon.* M, *verine .. magn.* M, *quas .. intellegimus* M. — *et quid* P^1S^1M, *ut quid* P^2S^2. 16. *sit* et *n* s. l. S. 18. *oñs* fere semper S. 20. *adtr.* S. — *amentia*] *dementiae est* Vict. 176, 32, cf. p. § 12 et p. Rosc. Com. 5: *adversaria proferre non amentia est?* 21. *quodsi .. conp.* M. — *eis* W, *his* C. 22. *videretur .. officio* M. 23. *statuisse* M. — *artificio* PS, *officio* Mω, sed cf. p. 11, 8. Kayser mihi parum subtiliter *officio* contra Linsmayerum defendisse videtur in Fleckeiseni Ann. 79, 492.

sed quid ipse posset, exposuisse. Nunc vero ea vis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit. Non quod ars, quam ille edidit, mihi mendosissime scripta videatur; nam satis in ea videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas res conlocasse et non nihil ipse quoque novi protulisse; verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit; multo maximum est ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes videmus. VII. 9. Quare materia quidem nobis rhetoricae videtur artis, quam Aristoteli visam esse diximus; partes autem eae, quas plerique dixerunt, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inventio est excogitatio rerum verarum aut veri similium, quae causam probabilem reddant; dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio; elocutio est idoneorum verborum ad inventionem accommodatio; memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio; pronuntiatio est ex rerum et verborum dignitate vocis et corporis moderatio. Nunc his rebus breviter constitutis eas rationes, quibus ostendere possimus genus officium finem huius artis, aliud in tempus differemus. Nam et multorum verborum indigent et non tanto opere ad artis descriptionem et praecepta tradenda per-

---

1. *expuisse* S. — *nunc ... concesserit* 𝔐. 3. *conquesierit* P¹. — *neque ... videatur* M. — *non quod ars* Linsmayer, *neque eo eius ars* P¹, *neque eo dico, quod eius ars* P², *neque eo quod ars eius* M, *neque eo quod ars eius* sed *quod ars eius* in ras. S. Nescio an M antiquam scripturam expresserit, cf. p. Quinct. 5: *non eo* [*dico*], *C. Aquili, quod mihi veniat in dubium tua fides* etc. — *quam ille* W, *qui* P¹S¹, *quam* P²S²M. 4. *ex antiquis artibus* 𝔐. 5. *collocasse* (s. l.: *collegisse et*) S, *collegisse et collocasse* ω. — *et non ... protulisse* 𝔐. — *non* s. l. S, om. ω. 6. *verum ... dicere* M. — *est* add. 𝔐ω: intercidit verbum propter scripturam *ĕcs.* 7. *quod ... videmus* 𝔐. 9. *artis quam* PS, *ea quam* ω. 10. *partes ... dixerunt* M. — *eae* S¹M, *hae* in ras. P. — *inventio ... reddant* (12) 𝔐. 13. *rerum inventarum* 𝔐. 14. *verborum*] *et sententiarum* add. in mrg. S²P²ω𝔐. — *ad inventionẽm* 𝔐. — *acõmodatio* S. 15. *ad inventionem* Codd. 𝔐, incl. Schütz, cf. Quint. III 3, 10. — *pronuntiatio ... moderatio* 𝔐. 16. *ex verborum et rerum* P, ut in archetypo alterum utrum nomen in serie verborum videatur intercidisse. 17. *nunc ... differemus* M. 18. *genus officium finem* M, *genus et finem et officium* PS Bamb. Victorini, *genus et off. et finem* ω. — *huius* PS, *rhetoricae* M. — *in aliud* M. 19. *nam .. existimamus* (p. 11, 2) 𝔐. 20. *tant//opere* S, *tantopere* Δ. — *discr.* Δ. — *tradenda* om. 𝔐.

tinent. Eum autem, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, [materia artis ac partibus] scribere oportere existimamus. Ac mihi quidem videtur coniuncte agendum de materia ac partibus. Quare inventio, quae princeps est omnium partium, potissimum in omni causarum genere, qualis debeat esse, consideretur.

VIII. 10. Omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem. Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: Fecisti: Non feci, aut, Iure feci. Cum facti controversia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quoniam vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. Cum vero, qualis res sit, quaeritur, quia de vi et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. At cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, translativa dicitur constitutio, quia actio translationis et commutationis indigere videtur. Atque harum aliquam in omne causae genus incidere necesse est. Nam

---

2. *materia* PSΔ, *de mat.* ω, incl. W. — *ac ... partibus* M. 3. *coniucte* S. 5. *qual//s* S. 7. *omnis ... nascitur* (10) M, cf. Quint. III 6, 50. 8. *aut nominis ... quaestionem* in ras. S, deinceps PS haec add.: *Facti ut coniectura. Nominis ut finis. Generis ut qualitas. Actionis ut prescriptio,* hoc vero extremum deest in P, in quo illa glossemata in contextu deleta supra versum scripta sunt. 10. *constitutionem ... profecta* 𝔐. 11. *prima conflictio*] his verbis incipit V, cuius in primo folio multis locis perforato haud pauca interciderunt. 14. *cum ... pendet* (18) M. — *quoniam* K𝔐 (180, 28) P², *quam* P¹, *qu...* V, *quia* SM. 15. *def.* V¹, *dif.* V², *diff.* PS. 16. *quia*] *quoniam* 𝔐 (180, 40), *de vi* V, *et de vi* PSM. 18. *quod* PS², *quia* VS¹. — *aut cum eo* W, *aut non cum eo* C. 19. *quicum* VPS¹, *quocum* S². — *aut apud* W, *aut non apud* C, sed in V *aut non* s. l. additum. — *quo tempore* om. 𝔐, cf. § 16. 20. *crimine* in ras. V. 21. *quia* ω, *que* V, *qua* P¹, *quam* S, *quoniam* P². — *actio* P, *actione* V, *actione* S, cf. II 57. — *atque ... necesse est* M. 22. *aliqui* P¹, *aliqui* in *aliquā* corr. V, atque hoc in libro fere semper *qui* pro *quam* scriptum est. — *omne genus // genus* V (om. *causae*).

in quam rem non inciderit, in ea nihil esse poterit controversiae; quare eam ne causam quidem convenit putari.

11. Ac facti quidem controversia in omnia tempora potest tribui. Nam et quid factum sit potest quaeri, hoc modo: Occideritne Aiacem Ulixes; et quid fiat, hoc modo: Bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani; et quid futurum sit, hoc modo: Si Karthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad rem publicam perventurum.

Nominis est controversia, cum de facto convenit et quaeritur, id quod factum est quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est ideo nominis esse controversiam, quod de re ipsa nomen non convenit; non quod de facto non constet, sed quod id, quod factum est, aliud alii videtur esse et idcirco alius alio nomine id appellat. Quare in eiusmodi generibus definienda res erit verbis et breviter describenda, ut, si quis sacrum ex privato subripuerit, utrum fur an sacrilegus sit iudicandus. Nam id cum quaeritur, necesse erit definire utrumque, quid sit fur, quid sacrilegus, et sua discriptione ostendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere atque adversarii dicunt.

IX. 12. Generis est controversia, cum et quid factum sit, convenit et, quo id factum nomine appellari oporteat, constat, et tamen, quantum et cuiusmodi et omnino quale sit, quaeritur, hoc modo: Iustum an iniustum, utile an inutile, et omnino omnia,

---

3. *Ac ... tribui* M. — *tribui* PV, *distribui* SM. 4. *Nam et quid* W, *nam quid* Codd. 5. *bonone ... Fregellani* M. 6. *fragelliani* PS, nihil nisi *ani* superest in V. — Hic et v. 2 et 3 correxerat *ecquid* Lambin. 7. *si ... perventurum* 𝔐. — *cartag.* S, evanuit in V, *carth.* Δ. — *relinquerimus* PV, *relinquimus* S. — *incolomem* VP. 8. a verbis *ad remp.* integer est V. 9. *nominis ... appelletur* M. — *conven|||t* S. 10. *est* 𝔐, *sit* M. — *quod in* (*d* del.) V. 11. *nominis* incl. Schütz et K, cf. Fleckeiseni Ann. 79, 492. — *quod ipsa* P, post versus finem extra lineam *ipsa* V. 12. *nomen* add. W. — *convenit* K, *conveniat* Codd. — *non* post *facto* om. P^1, s. l. V. 13. *id quoque* P^1V, *id quod* P^2S. — *est* K, *sit* Codd. — *videtur ... appellat* K, *videatur ... appellet* Codd. 14. *generibus* Codd., quo verbo etiam *causis* supprimi potest velut 11, 22. De eiusmodi generibus quid significent cf. Verr. II 118. — *dif.* V^2. — *defin. ... describenda* M. 15. *ut si ... iudicandus* 𝔐. — *qui* Δ, *quis* C. 16. *utrum* om. 𝔐. 18. *discr.* V, *descr.* PS. 19. *appellari* S, *appellare* PV. 20. *Generis ... constat* M. — *cum et id || quid* V. 21. *quod id* S^1. 23. *utrum iustum ... utrum utile an inutile* 𝔐. — *iniustum* (*in* s. l.) V. — *omnino* add. W,

in quibus, quale sit id, quod factum est, quaeritur sine ulla nominis controversia. Huic generi Hermagoras partes quattuor subposuit, deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum videtur, verum brevi, ne aut, si taciti praeterierimus, sine causa non secuti putemur, aut, si diutius in hoc constiterimus, moram atque inpedimentum reliquis intulisse videamur. Si deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest, eidem genus esse et pars non potest. Deliberatio autem et demonstratio genera sunt causarum. Nam aut nullum causae genus est, aut iudiciale solum, aut et iudiciale et demonstrativum et deliberativum. Nullum dicere causae esse genus, cum causas esse multas dicat et in eas praecepta det, amentia est; unum iudiciale autem solum esse qui potest, cum deliberatio et demonstratio neque ipsae similes inter se sint et ab iudiciali genere plurimum dissideant et suum quaeque finem habeat, quo referri debeat? Relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint causarum. [Deliberatio et demonstratio non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.]

X. 13. Quodsi generis causae partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causae partes putabuntur. Pars autem causae est constitutio omnis. Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam adcommodatur. [Et demon-

---

cf. I 18, 25. 2. *herg. generi* S. — *huic ... videtur* M. — *quattuor partes* M. 3. *iudicialem* V^1S^1. 4. *mediocre*/// V. 5. *brevi* (s. l. *breviter*) V. — *praeteriemus* V. 6. *non*] *nos* V. — *secuti* VP^1S^1, *secuti eum* P^2S^2, cf. § 61: *ne temere secuti putemur.* — *consteterimus* P^1. 7. *reliquis* V^1, *reliquis praeceptis* V^2SP, cf. II 10, p. 11, 2. — *intullisse* V. — *videatur* P^1. — *Si deliberatio ... deliberativum* (13) M. 8. *gene·ra* V. 9. *a//lii* V (bis). 10. *idem* M. 12. *aut// et* V. 15. *autem*] *aut* V. 18. *habeant ... debeant* $S^2\omega$. Cf. Madvig ad Cic. Fin. V 42. — *relinq. ... putabuntur* (23) $\mathfrak{M}$. 19. *sunt* corr. in *sint* S. — *deliberatio* VP^1S^1, *deliberatio igitur* $\omega\mathfrak{M}$. Hunc antiquissimum titulum in contextum adsumptum eam quae sequitur conclusionem attraxisse apparet. Cf. etiam K in Fleckeiseni Ann. 79, 493. 23. *partes* om. V et B^1 Victorini. — *pars ... adcommodatur* M. 25. *accommodatur* S. — *Et demonstratio ... putabuntur* $\mathfrak{M}$, incl. K.

stratio et deliberatio generis causae partes non possunt recte putari, quod ipsa sunt genera; multo igitur minus recte partis eius, quae hic dicitur, partes putabuntur.] Deinde si constitutio et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est. [At si, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est, deliberatio et demonstratio neque constitutio nec pars constitutionis est.] Si igitur constitutio et ipsa et pars eius intentionis depulsio est, deliberatio et demonstratio neque constitutio neque pars constitutionis est. Placet autem ipsi illam intentionis esse depulsionem; placeat igitur oportet hanc non esse constitutionem nec partem constitutionis. Atque hoc eodem urguebitur, sive constitutionem primam causae accusatoris confirmationem dixerit sive defensoris primam deprecationem; nam eum eadem omnia incommoda sequentur.

14. Deinde coniecturalis causa non potest simul ex eadem parte eodem in genere et coniecturalis esse et definitiva. Nec definitiva causa potest simul ex eadem parte eodem in genere et definitiva esse et translativa. Et omnino nulla constitutio nec pars constitutionis potest simul et suam habere et alterius in se vim continere; ideo quod una quaeque ex se et ex sua natura simpliciter consideratur; altera adsumpta numerus duplicatur, non vis constitutionis augetur. At deliberativa causa simul ex eadem

---

1. *et* CM, *sed* P^2, *at* Lambinus. — *genus* V. 3. *quae* V, *quod* S^1, *quam* S^2PM. — *hic* om. A. — *dicitur* P (corr. in *dicit.*) V, *dicit* SM. — *Deinde ... constitutionis est* (5) M. — *si* om. P^1. 4. *pars constitutionis eius* CB Victorini. 6. *at si ... constitutionis est* (8) M, incl. W. — *at si ... constitutionis* (7) om. V. 7. *delib. et dem.* VSM, *dem. et delib.* P. — *neque pars* P. 8. *si igitur ... depulsionem* M. 9. *pars eius quaelibet* $S^2\omega M$. 11. *ipsi illam* W, *ipsius* V, *ipsi* PS. — *intentionis* C, *constitutionem intentionis* $S^2\omega$. 12. *hanc* W, om. Codd., ω (*non* C) add.: *demonstrationem et deliberationem,* quas aliis locis inverso ordine Cicero commemorare solet, veluti M (187, 36). — *constitutiones nec partes* M. 13. *urgebitur* S. — *sive ... deprecationem* M. 14. *confirmationis* V. — *dixerit* (*x* s. l.) V. — *deprecationem* S. 16. *deinde ... et definitiva* M. 17. *nec* C, *rursus nec* $P^2\omega$, quod ex Victorini explicatione (189, 15) irrepsisse videtur. 19. *et omnino ... continere* (21) M. 21. *ideo quod ... consideratur* M. — *ideo quod*] *ideoque* corr. P. 22. *altera ... in genere* (p. 15, 1) M. — *altera ... augetur* om. S^1, add. mrg. S^2. — *ass.* VS^2. — *numerus* W, *numerus constitutionis* SM, *num. constitutionum* PV. — *non vis. ...*

parte eodem in genere et coniecturalem et generalem et definitivam et translativam solet habere constitutionem, et unam aliquam et plures nonnumquam. Ergo ipsa neque constitutio est nec pars constitutionis. Idem in demonstratione solet usu venire. Genera igitur, ut ante diximus, haec causarum putanda sunt, non partes alicuius constitutionis. XI. Haec ergo constitutio, quam generalem nominamus, partes videtur nobis duas habere, iuridicialem et negotialem. Iuridicialis est, in qua aequi et recti natura, et praemii aut poenae ratio quaeritur; negotialis, in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur; cui diligentiae praeesse apud nos iure consulti existimantur. 15. Ac iuridicialis quidem ipsa in duas tribuitur partes, absolutam et adsumptivam. Absoluta est, quae ipsa in se continet iuris et iniuriae quaestionem; adsumptiva, quae ipsa ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autem aliquid defensionis adsumit. Eius partes sunt quattuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, conparatio. Concessio est, cum reus non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur, postulat. Haec in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa removetur. Haec partes habet tres, inprudentiam, casum, necessitatem. Deprecatio est, cum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur et tamen, ut ignoscatur, postulat; quod genus perraro potest accidere. Remotio criminis est, cum id crimen, quod infertur, ab se et ab sua culpa in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa aut factum in alium transferetur. Causa transfertur, cum aliena

---

augetur om. V^1, add. mrg. V^2. 1. *et coniecturalem ... pars constitutionis* M. 2. *aliquam* CM, *aliquando* ω. 4. *nec* M. 6. *Haec ... consideratur* M. 7. *vocamus* M. — *iudicialem* V. 8. *recti* CM, *iniqui* P^2 ex II 109. 9. *et praemii* M, *aut pr.* C, cf. II 109. — *negotialis ... existimantur* Quint. III 6, 58, *negotialis est* M et Quint. libri. 10. *diligentia* P^1. 11. *iure* P^1V^1, Quint., *iuris* Sω. — *ac ... adsumptivam* M. 12. *ipsa* ω, om. M, *ipsa*/// P, *ipsa et* VS. — *duas* om. P^1. — *tribuitur* V, *distribuitur* PSM (*partes distr.*). In P^1 quidem *distr.* ex *duas trib.* ortum esse ex numero *duas* omisso satis apparet. 19. *cum ... removetur* M. 21. *deprecatio est ... postulat* M. — *est* om. V^1. 23. *accedere* VS. cf. Lachmann ad Lucret. II 951 et O. Ribbeck Verg. Proleg. 416. — *remotio ... conatur* M. 24. *ab se et* om. M. — *culpa* K, *culpa et potestate* VS^1, *culpa vi et potestate* MS^2P (corr.?). 25. *demovere* M, *removere* M. 26. *trasfertur* VP^2,

dicitur vi et potestate factum; factum autem, cum alius aut debuisse aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis est, cum ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante iniuria lacessierit. Conparatio est, cum aliud aliquod factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.

16. In quarta constitutione, quam translativam nominamus, eius constitutionis est controversia, cum aut quem aut quicum aut quomodo aut apud quos aut quo iure aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur. Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quo non usi sint ea veteres oratores saepe multi, sed quia non animadverterunt artis scriptores eam superiores nec rettulerunt in numerum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam inprudentia falli putamus, (res enim perspicua est,) quam invidia atque obtrectatione quadam inpediri. XII. Et constitutiones quidem et earum partes exposuimus; exempla autem cuiusque generis tum commodius expositurі videmur, cum in unum quodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, cum et ad genus et ad exemplum causae statim poterit adcommodari.

17. Constitutione causae reperta statim placet considerare, utrum causa sit simplex an iuncta; et si iuncta erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta an ex aliqua conparatione. Simplex est, quae absolutam in se continet unam quaestionem, hoc modo: Corinthiis bellum indicamus an non? Coniuncta ex pluribus

---

transferetur P¹S. 1. *dicit* V¹. 2. *relatio ... controversia* (7) M. — *cum* (sup. ras.) S²M, *quod* PVS¹ (in hoc erasum). 3. *aliquis* PV, *ali||u||s* S, *alius* M. 4. *aliquid* PVS (in hoc *alicuius* s. l.), *aliquod alicuius* M. 5. *quod* SMP²V², *qui* P¹V¹. — *dicit* V². 6. *quam*] *qui* V¹. — *translationem* M. 7. In V *quicum aut quomodo* haec m. 2 suprascripta sunt: *cum quali persona sit controversia . alio crimine.* 8. *quo tempore*, cf. p. 11, 19. 9. *aut omnino ... agitur* R. 10. *huius ... numerum* M. 11. *sunt* MS (in hoc punctis *sint* effictum). 12. *animadverterunt* ω, *animadverterint* CM. 13. *et non* M. — *retulerunt* ω, *retulerint* CM, nisi quod *rettulerint* Δ. — *in numerum* W, add. *constitutionis* C, *constitutionum* ωM. — *inventa* PV¹. 15. *quam*] *qui* V¹. — *obtetractione* S. 16. *Et ... exposuimus* M. — *constitutionis* P. 17. *tum* C, *tunc* ω. 18. *vide||mur* S, *videamur* PV. 19. *nam ... conparatione* (24) M. 20. *acomm.* V¹, *accomm.* V². 26. *corinthis* V¹. — *coniucta* V., *iuncta est* Cassiod. 497, 21, *coni. est* Alb. 528.

quaestionibus, in qua plura quaeruntur, hoc pacto: Utrum Karthago diruatur, an Karthaginiensibus reddatur, an eo colonia deducatur. Ex conparatione, in qua per contentionem, utrum potius sit, quaeritur, ad hunc modum: Utrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui sociis sit auxilio, an teneatur in Italia, ut quam maximae contra Hannibalem copiae sint. Deinde considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia est ea, quae ex scriptionis genere nascitur. XIII. Eius autem genera, quae separata sunt a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se duae leges aut plures discrepare, tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare; tum ex eo, quod scriptum est, aliud, quod non scriptum est, inveniri; tum vis verbi quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri. Quare primum genus de scripto et sententia, secundum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinativum, quintum definitivum nominamus. 18. Ratio est autem, cum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit.

Atque ita considerato genere causae, cum, simplexne an iuncta sit, intellexeris et, scripti an rationis habeat controversiam, videris, deinceps erit videndum, quae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum causae sit; quae omnia a constitu-

---

1. *cartago* VS. 2. *carthaginensibus* VS. 3. *ex conp.... quaeritur* M. — *potius sit* W, *potius an quid potissimum sit* M, *potius aut quid* (*quod* V) *potissimum* PV, *potius aut quid potissimum sit* Sω, cf. Cornif. III 2. Sed illud *utrum potius sit* significat: utrum praeferendum vel praestabilius videatur. 6. *dein* (sic!) ... *sit controversia* M. 7. *in* (altero loco) om. V. — *controversa* S. 8. *ex* om. V. 9. *genera* om. P^1. 13. prius *est* om. V. — *aliud quod* P, *aliud quoque* V^1, *aliud quoque quod* $V^2Sω$. 14. *vis*] *ius* S^1. — *dif.* V. — *in* ante*quo* s. l. V. — *in qua* S^2. — *sit* eras. in S. 15. *quare ... nominamus* incl. K, sed in Vict. haec sunt: *huius scriptionis genera sunt quinque, ut ipse primum rebus, dein nominibus indicavit.* Illud quidem mirum, quod Victorinus (p. 193) non eadem nomina rettulit, quae Cicero usurpasse videtur. — *genus* om. V. — *discripto* V. 17. *dif.* V, *diff.* S. — *ratio ... causae* M. 18. *:questio* (s. l. *:oratio et,* i. e. *oratio et questio*) S, *ratio* (non *quaestio*) M. — *in scriptione sola sed etiam* (glossematis s. l. add.) V^2. 19. *Atque ita* W, *ac//////tum* V, *ac tum* PSM, *at tum* ω, incl. K. Disputatio simul progreditur et adnectitur ad p. 16, 22. — *considerat//o* S. — *causae*] add. *cognita constitutione* C, *et cogn. const.* ω. Cf. Victorin. p. 193, 33. — *an coniuncta* ω. 22. *quod* extra lineam V.

tione proficiscantur oportet. Quaestio est ea, quae ex conflictione causarum gignitur controversia, hoc modo: Non iure fecisti; Iure feci. Causarum autem est conflictio, in qua constitutio constat. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, haec: Iurene fecerit? Ratio est ea, quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquatur, hoc modo, ut docendi causa in facili et pervulgato exemplo consistamus: Orestes si accusetur matricidii, nisi hoc dicat, Iure feci; illa enim patrem meum occiderat: non habet defensionem. [Qua re omnis controversia quoque sublata sit.] Ergo eius causae ratio est, quod illa Agamemnonem occiderit. Iudicatio est, quae ex infirmatione rationis nascitur controversia. Nam sit ea nobis exposita ratio, quam paulo ante posuimus: Illa enim meum, inquit, patrem occiderat. At non abs te filio matrem necari oportuit; potuit enim sine tuo scelere illius factum puniri. XIV. Ex hac diductione rationis illa summa nascitur controversia, quam iudicationem appellamus. Ea est huiusmodi: Rectumne fuerit ab Oreste matrem occidi, cum illa Orestis patrem occidisset. 19. Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et adpositissima ad iudicationem; ut si velit Orestes dicere eiusmodi animum matris suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiae, ut ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint. Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur; in coniecturali autem constitu-

---

3. *haec est* ω. 5. *haec* P¹S, *h̄* V, *hoc modo* P²V² mrg. ω. — *causam*] add. in mrg. *hoc modo* S². — *quia si* V¹. 7. *dicendi* P¹. — *causam* S². — *exempla* S². — *consistamus* S²ω, *constituamus* C (in P supra versum). 9. *qua re* VS, *qua sublata* (?) P. 10. *q////que* S. — *est* K, sed hanc omnem sententiam secl. Baiter. — *quod* V²P²Sω, *autem* P¹, om. V¹. 11. *agamennonen* VS. — *infirmatione* P, *infirmatione et confirmatione* VS. 13. *posuimus* W, *disposuimus* (i. e. *bis pos.*) V, *exposuimus* PS. — *illa autem* S. 14. *At non* W.] add. *inquit et adversarius* C, *et* del. in Sω. Infirmatio haudquaquam ad adversarium solum pertinet. — *necare* V¹S¹. 15. *hac* s. l. V. — *deductione* P. 18. *Firmamentum ... ad iudicationem* M, *fi*rmissima ... *debuerint* (23) Quint. III 11, 9. 12. 19. *adpotissima* Quint. B, *appositissima* VP, *ap//////////tissima* S, *//////////issima* Δ, *aptissima* M. 20. *ut si ... regnum* Mt. — *ut* deest apud Quint. 22. *famaliae* S¹. — *sui* om. Quint. B, *potissimum sui* Quint. A. 23. *Et ... reperientur* M. — *et ceteris quidem in* M, quod mihi magis placet. 24. *reperiuntur* (*repp.* V) C Victorini Frising., *reperientur* Mω.

tione, quia ratio non est, (factum enim non conceditur,) non potest ex diductione rationis nasci iudicatio. Quare necesse est eandem esse quaestionem et iudicationem: factum est, non est factum, factumne sit? Quot autem in causa constitutiones aut earum partes erunt, totidem necesse erit quaestiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri.

Iam his omnibus repertis denique singulae partes totius causae considerandae sunt. Nam non ut quidque dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur; ideo quod illa, quae prima dicuntur, si vehementer velis congruere et cohaerere cum causa, ex eis ducas oportet, quae post dicenda sunt. Quare cum iudicatio et ea, quae ad iudicationem oportet argumenta inveniri, diligenter erunt artificio reperta, cura et cogitatione pertractata, tum denique ordinandae sunt ceterae partes orationis. Eae partes sex esse omnino nobis videntur: exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Nunc quoniam exordium princeps debet esse, nos quoque primum in rationem exordiendi praecepta dabimus.

XV. 20. Exordium est oratio animum auditoris idonee conparans ad reliquam dictionem; quod eveniet, si eum benevolum, attentum, docilem confecerit. Quare qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere. Genera causarum quinque sunt: honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. Honestum causae genus est, cui statim sine oratione nostra favet auditoris animus; admirabile, a

---

1. *coceditur* S. 2. *ded.* corr. in *did.* S. 3. *eadem* V. — *factum est ... sit* M. — *non est factum* om. P^1, *factum est non est factum* incl. K cum Linsmayero. 4. *quot ... erunt* M. — *quod* Δ. 5. *quaestionis* P. 6. *reperiri* ωM, *reperire* P, *repperire* VS. 7. *His omnibus .. sunt* M. — *Iam* W, *tum* VS, om. PM. — *repertis* V, *in causa rep.* PSM. — *denique* C, *tum denique* S^2M, natum ex v. 14. *Denique* convertit nostram cogitationem ad p. 16, 22 et 17, 21. 8. *primum est* S^2V^2, *primum enim* V^1, fort. *primum erit.* — *ita primum* om. P^1. 9. *ideo quod*] *ideoque* S^1. 11. *ex his* C. — *duas* S. 14. *Eae ... videntur* M. 15. *sex esse* M, *esse sex* M. 16. *princeps* VP^1S^1, *princeps omnium* P^2S^2. — 17. *ratione* C, cf. Vict. 194, 34. — *exoriendi* P^1. 19. *Exordium ... dictionem* M, Alb. 534. — *comp.* V. 20. *quod ... confecerit* M. — *benivolum* VSM. 21. *docibilem* in *docilem* corr. S. — *fecerit* Mω. — *exdiri* S. 23. *Genera ... particeps* (20, 4) M. 25. *auditoris*

quo est alienatus animus eorum, qui audituri sunt; humile, quod neglegitur ab auditore et non magnopere attendendum videtur; anceps, in quo aut iudicatio dubia est aut causa et honestatis et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat et offensionem; obscurum, in quo aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa est implicata. Quare cum tam diversa sint genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in uno quoque genere necesse est. Igitur exordium in duas partes dividitur, principium et insinuationem. Principium est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum.

21. In admirabili genere causae, si non omnino infesti auditores erunt, principio benevolentiam conparare licebit. Sin erunt vehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nam ab iratis si perspicue pax et benevolentia petitur, non modo ea non invenitur, sed augetur atque inflammatur odium. In humili autem genere causae contemptionis tollendae causa necesse est attentum efficere auditorem. Anceps genus causae, si dubiam iudicationem habebit, ab ipsa iudicatione exordiendum est. Sin autem partem turpitudinis, partem honestatis habebit, benevolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur. Cum autem erit honestum causae genus, vel

---

animus favet ω, non item M aut 𝔐. 1. *alienus* M. 2. *adtend.* V. 4. *beniv.* VS. 5. *obscurum ... implicata est* (sic!) M. — *dific.* V. 6. *quare ... necesse est* 𝔐 201, 8. — *quare quoniam ... sunt* ω. 8. *Igitur ... insinuationem* M. — *in duo divid.* M. 9. *principium* W, *in princ.* CM. — *et ins.* P¹S¹M, *et in insinuationem* VP²S², cf. 8, 24; 15, 12 et 18. Sed scriptura codicis V recte se habet, si eiecto, quod M indicavit, emblemate restituas: *igitur exordium dividitur in pr. et in ins.*, cf. 9, 8. 10. *perspicue* VS, *perspicua* P, rec. K, sed cf. v. 16 et Albin. 535, 26. — *perficiens* C, *conficiens* in mrg. Pω, *efficiens* Lamb., cf. v. 19. 21, 5. — *auctorem* VP. — *beniv.* VS. 11. *quadam*] *qua* V. 12. *circumitione* (*m* del.) S. — *obscure* VS¹, *obscura* PS², rec. K. — *subiciens* S². 13. *ammirabili* VS. — *si non*] *sin* V. 14. *beniv.* VS — 𝔐: *principio tunc, si auditores non omnino erunt alienati, insinuatione tunc, si vehementer erunt alienati.* 16. *beniv.* VS. 18. *contentionis* VS (in hoc s. l. *refutationis*). 19. *est*] *erit* ω. 20. *ab ipsa ... habebit* (21) om. V, in mrg. inferiore eadem, ut videtur, manus addidit. — *exordiendum est*] *exordi///// est* S, *endum* in mrg. add. S². 22. *beniv.* VS.

praeteriri principium poterit vel si commodum fuerit, aut a narratione incipiemus aut a lege aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dictionis; sin uti principio placebit, benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur. XVI. In obscuro causae genere per principium dociles auditores efficere oportebit. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est, reliquum est, ut ostendatur, quibus quaeque rationibus res confici possit.

22. Benevolentia quattuor ex locis conparatur: ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, a causa. A persona nostra, si de nostris factis et officiis sine adrogantia dicemus; si crimina inlata et aliquas minus honestas suspitiones iniectas diluemus; si, quae incommoda acciderint aut quae instent difficultates, proferemus; si prece et obsecratione humili ac supplici utemur. Ab adversariorum autem, si eos aut in odium aut in invidiam aut in contemptionem adducemus. In odium ducentur, si quod eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur; in invidiam, si vis eorum, potentia [divitiae], cognatio, pecuniae proferentur atque eorum usus adrogans et intolerabilis, ut his rebus magis videantur quam causae suae confidere; in contemptionem adducentur, si eorum inertia, neglegentia, ignavia, desidiosum studium et luxuriosum otium proferetur. Ab auditorum persona benevolentia captabitur, si res ab eis fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua adsentatio nimia significetur, si de eis quam honesta existimatio quantaque eorum iudicii et auctori-

---

1. post *praeteriri* lacuna maior sed nihil deest in V. 4. *quod est,* sc. *commodum?* Mihi aliquid intercidisse videtur. 5. *docibiles* V. — *efficere oportebit* om. V. 7. *quibus* in ras. V, compendiaria in S. 9. *Beniv.* (sic etiam VS) ... *conparatur* M. — *quatuor* S. Omnem § 22, dein § 23 circumscripsit 𝔐. — *ab nostra persona* 𝔐. 10. *a iudicum* (om. *persona*) 𝔐. — *a causa* C Alb., *ipsa* s. l. add. S^2, *ab ipsa causa* 𝔐. — *A persona nostra* W, *ab nostra* Alb. C, *ab nostra persona* 𝔐ωK. 11. *arog.* V^1, *arrog.* S. 12. *supplicationes* V. 13. *acciderunt* V. *autque* V^1. — *proferimus* VS. 14. *simplici* PV, *suplici* ex *simplici* S. 15. *aut in cont. aut in invidiam* 𝔐. — *aut invidiam* VP^1. 17. *crudeliter* s. l. add. S^2, apud K errore intercidisse videtur. — *in* om. P^1. 18. *divitiae* incl. W, non interpretatur 𝔐. — *cognitio* V^1. 19. *arrog.* VS. — *intollerab.* VS. 20. *suae*] *se* V. 23. *beniv.* VS. 23 et 25. *eis* Linsmayer, *his* C. 24. *assent.* SV (in hoc s. l. *adulatio*). — *si* S^1, *et si* $S^2\omega$. 25. *eorum* om. P^1.

tatis exspectatio sit, ostendetur; ab rebus, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum causam per contemptionem deprimemus. 23. Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse, aut ad omnes aut ad eos, qui audient, aut ad aliquos inlustres homines aut ad deos inmortales aut ad summam rem publicam pertinere; et si pollicebimur nos brevi nostram causam demonstraturos atque exponemus iudicationem aut iudicationes, si plures erunt. Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus, hoc est, in quo consistat controversia. Nam quem docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is est maxime docilis, qui attentissime est paratus audire.

XVII. Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo, aut ab eis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus quam ex primis duabus in oratore nonnumquam animus auditoris offenditur. 24. Si causae turpitudo contraxit offensionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae

---

1. *exsp. sit* s. l. V, *exp. sit* S. — *ostenditur* C Alb. — *ab rebus* VP^{1}S^1, *ab ipsis reb.* S^2, *ab rebus ipsis* P^2. 2. *extollimus* V. 3. *deprimamus* S^2. — *attentos ... incredibilia esse* M. 4. *aut ad omnes* VSP^1, *et aut ad omn.* P^{2}K. Ego si quid mutaverim, scribam: *ea aut etc.* 6. *rem publicam* ω𝔐, *reip.* Alb. C, sed prorsus eadem depravatio saepenumero in libris etiam vetustis invenitur, veluti p. Rosc. Am. 148, p. Sulla 67, Cat. I 14, III 13, Verr. II 28, Wunder ad Planc. 66. Vide Halmii adn. ad Sull. (ed. Koehl.) § 67. 7. *pollice////mur* S, *pollicemur* P^1. 10. *quem* W, *cum* 𝔐, *et* P^1, *et cum* P^{2}VS, *eum quem* K. 14. *insinuatione est ig. ut.* M. — *est* om. P^1. 15. *causa* P^1. — *hoc est ... infestus est* om. S^1, in mrg. add. S^2. Mihi quidem haec sententia cum p. 20, 13 parum videtur congruere, sed cf. 𝔐 198, 26. — *auditoris animus* S^2. 16. *ex* om. 𝔐. 17. *aut* (ante *ab*) ω, *si aut* C, *aut si* (item v. 18) 𝔐. — *his* C. 19. *defensi* V^{1}S^1, *defessi offensi* Δ^1, *offensi* Δ^2 Frising. 20. *qui ex* V^1. 21. *oratorem* P^{2}ω. 22. *Si ... oportet* (24) M et 𝔐. — *contraxit* W, *contrahit* CK, *contrahet* M (*contrahit* Fris.) cf. p. 24, 2. 24. *alia res* V.

probatur; aut pro re hominem aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur; et dissimulare te id defensurum, quod existimeris; deinde, cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetemptim in defensionem et dicere ea, quae indignentur adversarii, tibi quoque indigna videri: deinde, cum lenieris eum, qui audiet, demonstrare, nihil eorum ad te pertinere et negare quicquam te de adversariis esse dicturum, neque hoc neque illud, ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem; et aliquorum iudicium simili de re aut auctoritatem proferre imitatione dignam, deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem in praesentia demonstrare. 25. Sin oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse, id quod ei, qui intellegit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod adversarii firmissimum sibi putarint et maxime ei, qui audient, probarint, primum te dicturum polliceri, aut ab adversarii dicto exordiri et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione uti, quid primum dicas aut cui potissimum loco respondeas, cum admiratione. Nam auditor cum eum, quem adversarii perturbatum putavit oratione, videt animo firmissimo contra dicere paratum, plerum-

---

1. *pro re*] *priorẽ* V^1. — *homine rem ut*] *honore aut* V^1. 2. *quod ... quod*] *qui ... qui* P^1V^1. — *animus* om. V^1. — *et dissimulare ... videri* (6) 𝔐. 3. *desimulare* PVS^1. — *te id* C𝔐, *id te* ω. — *existimaris* S^2𝔐, cui verbo subiciunt P^2ω: *defensurus,* om. etiam 𝔐. — *cum*] *ubi* 𝔐. 4. *pedetemtim* P. — *in* om. P^1. — *defensione* Δ^2. 6. *cum lenieris ... audiet* cum Lamb. Ern. Schütz incl. K, nec vestigium ullum huius enuntiati apud Victorinum repperi, sed effectus et condicionis notitia ad progressionem praecipiendi necessaria est, nisi simul *deinde* delere atque *et* reponere malis, et consimilis sententia est in Cornif. I 9: *deinde cum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus.* — *de/////monstr.* V. 7. *et negare ... demonstrare* (12) 𝔐. — *te* ante *quicquam* add. S^2𝔐, om. C, posui ante *de,* ut *quicquam* elatum illud quod sequitur *neque hoc neque illud* vi sua contineret. 8. *neque hoc neque illud* incl. K. 9. *quoid* V. — *alienis* V^1, *abalienes* 𝔐. 11. *digna* V. 12. *similem* 𝔐. — *aut maiorem aut minorem* incl. K, sed cf. Cornif. I 9. — *in praesenti* P, rec. K. 14. *id quod* P, *idque* VS. — *qui* s. l. V. 15. *cognitũ* VS. — *aũ* (i. e. *autem*) V. — *quo* V. — *sibi firmissimum* ω. 16. *putari//nt* S. — *ei* ω, *hii* C. — *audierint* ω, *adient* V. 19. *ammiratione* V. 20. *putavit* W, cf. Victor. 199, 32, *putarit* Linsmayer, *putant* C. 21. *co//tra* V.

que se potius temere adsensisse quam illum sine causa confidere arbitratur. Sin auditoris studium defatigatio abalienavit a causa, te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum commodum est polliceri; non imitaturum adversarium. Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere aut ex tempore quae nata sit; quam fere sequitur strepitus adclamationum; aut iam parata, quae vel apologum vel fabulam vel aliquam contineat inrisionem; aut, si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile non incommodum est inicere. Nam ut cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur aut dulci mitigatur, sic animus defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu novatur.

XVIII. Ac separatim quidem, quae de principio et de insinuatione dicenda videbantur, haec fere sunt. Nunc brevi communiter de utroque praecipiendum videtur. Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori vel maxime commendat; splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspitio quaedam adparationis atque artificiosae diligentiae nascitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem. 26. Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summopere vitare oportebit: vulgare, commune, commuta-

---

1. *assens.* VS. — *quam* PS², *qui* VS¹. 2. *abalienabit* V¹S, cf. 22, 22. 4. *tabit* V¹, *dabitur* V², supral.: *ita se habet* V³, *ita se habebit* 𝔐. 5. *incipe* V¹. 6. *quam fere sequitur* W, *quaenus* V¹, *quod genus* V²PS. An: *quae causa est?* — *strepitum* Sω. — *adclamationum* W, *acclamatione* (*acl.* S¹) VS, *adclamatione* P¹, *adclamationem* P², *adclamatiove* K. Ceterum Victorin.: *aut ex tempore, si forte clamor aut strepitus alicunde fuerit exortus.* 7. *apologam* PV, *apologiam* S¹, *apologum* S². 8. *iocundi* P¹. 9. *non* V, *statim non* PSω. 10. *sacietas* VS. 11. *defensus* VS¹. 12. *renovatur* Lambin, ut II 49. 13. *ac ... sunt* M, in quo ut in C *et de* traditur. 14. *vere* V. — *nunc* 𝔑, *nunc quidem* VS¹, *nunc quiddam* P(?)S² in mrg. ω. — *breviter* S² in mrg., 𝔐. 15. *exordium ... habere* M. 17. *propterea que* VP¹S¹, rec. K, *praeterea* 𝔐. 18. *quod*] *qui* P¹V¹S¹. — *oratori* VP¹. — *auditori vel* W, *auditorem* P¹V, *auditore* S. — *commendet* S². 19. *splend. ... minimum* M. — *propter quod* VS¹. 20. *suspicio* S. — *adparitionis* V, *apparitionis* S¹. 22. *vitia ... exordiorum* M. — *vicia* S, *viciṇia* (*in* del.) V. 23. *vitare* VS (in hoc *e* erasum), *vitari* Pω. — *vulgare* — *adcommodari* (p. 25, 2) M.

bile, longum, separatum, translatum, contra praecepta. Vulgare est, quod in plures causas potest adcommodari. Commune, quod nihilo minus in hanc quam in contrariam partem causae potest convenire. Commutabile, quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici. Longum est, quod pluribus verbis aut sententiis ultra quam satis est producitur. Separatum, quod non ex ipsa causa ductum est nec sicut aliquod membrum adnexum orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quam causae genus postulat: ut si qui docilem faciat auditorem, cum benevolentiam causa desideret, aut si principio utatur, cum insinuationem res postulet. Contra praecepta est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis praecepta traduntur; hoc est, quod eum, qui audit, neque benevolum neque attentum neque docilem efficit; aut, quo nihil profecto peius est, ut contra sit, facit. Ac de exordio quidem satis est dictum.

XIX. 27. Narratio est rerum gestarum aut ut gestarum expositio. Narrationum genera tria sunt: unum genus est, in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur; alterum, in quo digressio aliqua extra causam aut criminationis aut similitu-

---

2. *est quę* V. — *accommodari* V s. l., pro eo in contextu habet *convenire* omissa sententia *commune ... convenire* (4). Ac supra *convenire* m. 2 *ut videatur* additum est. Ac prorsus eadem scriptura omissioque est in S, nisi quod *convenire* bis positum est in contextu, in V unum in contextu, alterum in margine. Nam hic VS sententiam in ordine omissam adiectam habent: *commune quod* (*qui* V^1) *nihil ominus in hanc* (*ali quam* S) *quam in* (*qui in* V^1) *contrariam partem causae potest* (*potest convenire* V). Haec sententia ex Victorino suppleta videtur. In P vulgata esse dicitur haec: *accommodari ut convenire videatur . commune ... convenire,* sed hoc mihi non credibile videtur. 4. *commutabile ... postulat* (9) M. 5. *longum est* CM, *longum* ω. 6. *quam* om. V^1. — *separatim* P. 7. *non* om. V^1. — *aliquid* P^1VS. 9. *qui* VP^1S^1, *quis* P^2S^2. — *beniv.* VS. 10. *causae* V. — *desiderat* ω. 11. *postulat* ω — *Contra ... traduntur* M. — *praeceptum* MM. — *qui nihil* V. — *horum* S. 13. *qui eum* VS^1. — *beniv.* VS. 14. *profecto* incl. K. 15. *satis est* W, *satis* C, sed *est* post *dictum* ω (= II 115, 165), quod in P quoque esse ego non credo. Licet etiam conicere *satis dictum videtur,* cf. I 30. 36. 56. 96. 109 fin. 16. *narratio ... expositio* M. — *gestarum rerum* ω Baiter, sed prorsus diversa ratio est de Or. II 53. — *aut ut gestarum* s. l. V. 17. *in quo ... continetur* M. 18. *in quo*] add. mrg. S^2: *genus est.* 19. *degressio* S^1. — *ut crim.* V^1, *aut crim. .... amplif.* (p. 26, 2) M.

dinis aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis causa interponitur. Tertium genus est remotum a civilibus causis. Eius partes sunt duae, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quae in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, in qua nec verae nec veri similes res continentur, cuiusmodi est:

Angues ingentes alites, iuncti iugo —

Historia est gesta res, ab aetatis nostrae memoria remota; quod genus:

Appius indixit Karthaginiensibus bellum.

Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit. Huiusmodi apud Terentium:

Nam is postquam excessit ex ephebis, —

Illa autem narratio, quae versatur in personis, eiusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint, hoc modo:

Venit ad me saepe clamans: Quid agis, Micio?
Cur perdis adulescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges, nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus praeter aequumque et bonum.

---

1. *quode* PVS^1 (*e* partim erasum in V), *de quo* S$^2\omega$. 2. *tertium ... causis* $\mathfrak{M}$. Hic add. PS et mrg. V: *quod delectationis causa non inutili* (*utili* P^{1}VS^1) *cum exercitatione dicitur et scribitur,* del. Linsmayer, nec ullum vestigium in Victorino. 5. *fabulam ... iugo* (8) $\mathfrak{M}$. 6. *vere similes* V. 8. Pacuvii versus 397 Ribb. ed. II p. 130. — *iugo iuncti* S. 9. *quod genus ... bellum* (11) $\mathfrak{M}$. — *quae genus* V^1, *quo genere* s. l. V^{2}S^1, *quod genus est* S^2. 11. Ennii Ann. v. 230 Vahlen. — *cartaginensibus* VS. — *bello* S^1, *in bellum* Δ. 12. *ąfictu* (*a* del.) V, an *conficta?, facta* S^1, *non facta* S^2. 13. *terrentium* VS. — Andria 51. 14. *his* V, *is* s. l. S. — *potestquam* (*te* eras.) VS. Cf. Ritschl Opusc. II 542. — *ephebis*] add. C$\mathfrak{M}$: *Sosia,* del. Linsmayer, cf. § 33. 15. *illa*/// V. 18. Ter. Adelph. 60 sq. — *venit ... amat* $\mathfrak{M}$. — *clamans* Ter., *clamitans* PM, *c*//*lamitans* VS, versum respuere *clamitans* vidit Bentley. — *mitio* VS. 19. *adolesc.* V. 21. *vestitu* P^2, *vestimentum* (*men* in ras.) P^1, *vestitum* VS. — *nimium ind.* S, cf. Umpfenbachii Ter. — *ineptus est* V. 22. *praeter aequum et bonum* PS (*hic* in ras.), *praetereacumque et bonum* V. Fuerat igitur *aecum* in archetypo.

Hoc in genere narrationis multa debet inesse festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate levitate, spe metu suspitione, desiderio dissimulatione, errore misericordia, fortunae commutatione, insperato incommodo, subita laetitia, iucundo exitu rerum. Verum haec ex eis, quae postea de elocutione praecipientur, ornamenta sumentur.

28. Nunc de narratione ea, quae causae continet expositionem, dicendum videtur. XX. Oportet igitur eam tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. Brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur et non ab ultimo repetetur, et si, cuius rei satis erit summam dixisse, eius partes non dicentur; (nam saepe satis est, quid factum sit, dicere, ut ne narres, quemadmodum sit factum;) et si non longius, quam opus est, in narrando procedetur, et si non aliam in rem aliquam transibitur; et si ita dicetur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum est, id, quod non est dictum, intellegatur; et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest nec adiuvat, praeteribitur; et si semel unum quidque dicetur; et si non ab eo, quo modo desitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, cum se breves putent esse, longissimi sint; cum dent operam, ut res multas brevi dicant, non ut omnino paucas res dicant et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque

---

2. *levitate* Schütz, *lenitate* (*lentate* V¹) Codd., cf. ad Cornif. I 13. 3. *speș* (*s* del.) V. 4. *speratio* V. 5. *ioc.* VS. — *his* C. 6. *sumi poterunt* P. 7. *expositionem* (*ti* s. l.) V. 8. *oportet ... dicentur* (11) M. — *tris* ωM. — *res*] *virtutes* MΩ. 10. *sumet* MΩ. — *et non*] *non* MΩ. — *repetetur* M, *repetet* Ω. 11. *rei* om. Δ. — *eius partes* VS, *partes eius* P, rec. K. 12. *ut ne narres* PV Alb., *ut ñ enarres* S. 13. *et si ... dicant* (21) M. — *quam* W, *quamque*//// V, quam dittographiam fuisse (*quamquam*) apparet ex v. 22 et 28, 6 *quam quod* S¹, *quam quod scitu* corr. PS²M, *quam quoad* cum Lambino K. Cf. I 33. 14. *non aliam in rem aliquam* W, *nullam in rem aliam* Alb. C, *in nullam rem aliam* M. Cf. p. 28, 12. 15. *si ita* S², *sita* S¹. — *est* (bis) K, *sit* CM. — *ideo* V, an *id etiam*? 18. *quodque* P²S², cf. Madvig Fin. I 18. — *quo modo* W, *quod in* V Priscian X 55, *quo in* MS¹ et in ras. P, *in quo* S²ω, omnesque addunt glossam: *proxime* (*proxima* corr. P), qua recepta *m̃* (= *modo*) in *in* mutatum videtur. De structura verbi praeter Wesenbergi Emend. Cic. Ep. p. 71 cf. Quint. VIII 6, 50, ubi item *in hoc* pro *hoc* Spaldingius requirebat. 20. *decepit* VS¹Δ (*decipit* Δ in Ω), cf. p. 15, 23. — *se* om. Δ. — *breviter* S². 22. *quam*] *quę* V¹.

breviter videtur dicere, qui ita dicit: Accessi ad aedes; puerum evocavi; respondit; quaesivi dominum; domi negavit esse. Hic, tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia satis fuit dixisse, domi negavit esse, fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio et non minus rerum non necessariarum quam verborum multitudine supersedendum est. 29. Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur; et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res parum est intellecta longitudine magis quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est; quo de genere dicendum est in praeceptis elocutionis. XXI. Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur; si causae factorum exstabunt; si fuisse facultates faciundi videbuntur; si tempus idoneum, si spatii satis, si locus opportunus ad gerendam rem, qua de re narrabitur, fuisse ostendetur; si res et ad eorum, qui agent, naturam et ad vulgi morem et ad eorum, qui audient, opinionem adcommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse

---

1. *videtur* om. V¹. Malim hanc sententiam: *plerique breviter sibi videntur dicere, cum ita dicunt.* Nam non auditorum sed oratorum falsa opinio reprehendenda fuit. — *Accessi ... esse* (2) 𝔐. — *aedis* V¹. 2. *vocavi* S. 3. *res////// brevius* S. 4. *longius* VS. 6. *quam*] *que* V. 7. *aperta ... praetereatur* (13) M, Alb. 536. 8. *gestum erit* om. Δ, cf. p. 19, 8. 11. *perturba*[*te*]*////// S* (*te* s. ras.). — *nequam*] *neque* in mrg. S². 13. *prodaeatur* S. An *porro dicatur*? Sed cf. p. 27, 14 *procedetur*. — *quod*] *que* V. — *pertine/////at* V. 15. *nam saepe res* ωP (corr. scilicet!), *nam si per////// V, nam ////// perse* S¹, *nam persepe* S² (qui add. s. l. *res* post *est*). 16. *quam*] *que* V. 18. *probabilis ... servabuntur* (20) M. 20. *si causae ... videbuntur* om. M et 𝔐. 21. *faciendi* S. — *si tempus ... satis* M. 22. *spacii* VS. — *oport.* VS. — *gerendam* W, *eandem* C, *eam* cum Lambino K. 23. *si res ... adcommod.* (25) 𝔐. 24. *ad* ante *vulgi* erroris casu apud K intercidisse videtur. — *rumorem* Alb. C (*ru* in S del.). 25. *accom.* VS.

poterit. 30. Illud autem praeterea considerare oportebit, ne aut cum obsit narratio aut cum nihil prosit, tamen interponatur; aut non loco aut non, quemadmodum causa postulet, narretur. Obest tum, cum ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem. [quam argumentando et causam agendo leniri oportebit.] Quod cum accidet, membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam et ad unam quamque confestim rationem adcommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit et odium statim defensio mitiget. Nihil prodest narratio tum, cum ab adversariis re exposita nostra nihil interest item aut alio modo narrare, aut ab eis, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod cum accidit, omnino narratione supersedendum est. Non loco dicitur, cum non in ea parte orationis conlocatur, in qua res postulat; quo de genere agemus tum, cum de dispositione dicemus; nam hoc ad dispositionem pertinet. Non quemadmodum causa postulat, narratur, cum aut id, quod adversario prodest, dilucide et ornate exponitur aut id, quod ipsum adiuvat, obscure dicitur et neglegenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo, quae dicenda erunt, leviter attingendo, sua diligenter et enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum videtur; deinceps ad partitionem transeamus.

XXII. 31. Recte habita in causa partitio inlustrem et perspicuam totam efficit orationem. Partes eius sunt duae, quarum utraque magno opere ad aperiendam causam et constituendam

---

1. *illud ... offensionem* (4) M. — *autem iam* M. 3. *postulet* VSM, *postulat* P(?)ω. 4. *tunc* M. — *excipit* (*ex* s. ras. S). 5. *quam ... leniri oportebit* incl. nec vestigium relinquitur apud Victorinum. — *liniri* V. 6. *accidet* P², *accedit* VP¹S¹, *accidit* S²K, *quod cum contingit* M. 7. *accom.* VS. 9. *ab* C, *aut ab* ω. 10. *item* W, *iterum* C, cf. p. 5, 16. — *aut cum ab* ω. 11. *his* C. 12. *accidit* C, *acciderit* ω. 13. *supersed.* (*super* s. l.) V. — *in ea* in ras. V. 14. *conloc.* (*n* in ras.) V. 16. *Non ... neglegenter* (18) M. — *Cum non* V, *tum non* S, quod mihi ex numero ·III· marginali ortum videtur. Sed cf. p. 19, 7. 18. *iuvat* M, sed paulo ante *aut ad id* Δ. 19. *vicium* S. 20. *causa* V¹. 21. *dicenda* VS, *illius* P(?)ω. — *acting.* V. — *et nodate* S¹. 23. *transemus* V. 24. *recte ... orationem* M. — *rectae* S. — *inlustra est* V¹, *inlustrem* (om. *et*) V². 26. *utique* S¹. — *magnopere* PS.

pertinet [controversiam]. Una pars est, quae, quid cum adversariis conveniat et quid in controversia relinquatur, ostendit; ex qua certum quiddam destinatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa; ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intellegat fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur. Quae partitio, quid conveniat aut quid non conveniat, ostendit, haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: Interfectam matrem esse a filio convenit mihi cum adversariis. Item contra: Interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem convenit. Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae commodo consuluit. Deinde, quid controversiae sit, ponendum est in iudicationis expositione; quae quemadmodum inveniretur, ante dictum est. 32. Quae partitio rerum distributam continet expositionem, haec habere debet: brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, cum nisi necessarium nullum adsumitur verbum. Haec in hoc genere idcirco est utilis, quod rebus ipsis et partibus causae, non verbis neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnia quae incidunt in causam genera, de quibus dicendum est, amplectimur in partitione, ne aut aliquod genus utile relinquatur aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur neque permixte cum partibus implicantur. Nam genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars

---

1. *controversiam* Pω, *in controversia* VS, om. Alb., incl. W. 2. *in* s. l. V. — *relinquetur* S^1. 4. *altera ... ponitur* M. 6. *quibus ... peroratum* (7) M. 7. *partitionis* (prius *ti* s. l.) V. 8. *coveniat* (*n* s. adpos.) V. — *quae ... ostendit* M. 9. *quod* S^1. — *et quid* Iul. Vict. Δ, nescio an utrumque (*et, aut*) pro additamento habendum sit. 10. *quod*] *quia* V. 12. *Clytaemestra* C, cf. Fleckeiseni „Fünfzig Artikel" p. 13, Ritschl Opusc. II 497. — *agamennonem* VS. 16. *quae partitio ... utilis* (19) M. — *quae* C, *quae autem* M, Iul. Vict. — *partio* V^1S^1. — *distributam* M, *distributarum* C. 19. *assum.* VS. 20. *non*] *cum* V. 21. *tenendu* (*s* s. adpos.) V. — *absolutio ... in partitione* (23) M. 22. *de quibus* om. V^1. 23. *in partitione* VMS (in hoc *ti* s. l.), *in qua partitione* P(?)ω. Cf. Vict. 212, 24, 419, 35. — *ne* VS, *videndum est ne* P(?)ω. — *aliquid* S^1. 24. *vicios.* V. 25. *paucitas ... Troiani genus* (p. 31, 3) M.

est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo animalis pars est, Thebani aut Troiani genus. XXIII. Haec ideo diligentius inducitur discriptio, ut aperta generum et partium ratione paucitas generum in partitione seruari possit. Nam qui ita partitur: Ostendam propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum omnia incommoda ad rem publicam pervenisse, is non intellexit in partitione exposito genere partem se generis admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas, eius autem generis [sine dubio] pars est avaritia.

33. Hoc igitur vitandum est, ne, cuius genus posueris, eius rei unam aliquam tamquam diversam ac dissimilem partem ponas in eadem partitione. Quodsi quod in genus plures incident partes, id cum in prima causae partitione erit simpliciter expositum, distribuetur tempore eo commodissime, cum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione [post partitionem]. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo: Ostendam adversarios, quod arguamus, et potuisse facere et voluisse et fecisse; nam fecisse satis est ostendere: aut, cum in causa partitio nulla sit, [et] cum

---

3. *discriptio* W, *descr.* VSP¹, *perscriptio* P², *praescriptio* ω, quod rec. cum Ernestio Kayser. Hoc autem moderationi et rationi consentaneum videtur, non institutioni aut praeceptioni. 4. *aperta* W, *aperta intellecta* V, *aperte intellecta* Iul. Vict. PSω, ɛed aperte dicitur aliquid aut explicatur, non intellegitur, cf. p. 29, 26. — *generum et partium ratione* W, *generale* (*-li* PS) *partitione* Iul. Vict. C, *generali praescriptione* ω. 5. *nam ... adversariorum* M. 6. *audatiam* VS. 8. *expositio* (s. add. m. 2 *ne*) corr. in *exposito* V. 9. *sine* extra l. V. An *sine dubio* explicatio est particulae *nimirum?* Cf. p. 6, 9. 10. *pars* om. V. 11. *hoc ... vitandum est* M. — *nec uius* VS, *ne cuius rei* K. — *eius rei unam* W, *eius secum////// VS, eius secuti* P¹, *eius sicuti* P²ω. 12. *aliquam tamquam* W, *ali////quam* VS (hic sine ras.), *aliqua* P¹, *aliquam* P²ω. — *diversam rem* K, cf. Philol. VI 714, Fleckeiseni Ann. 79, 493. 13. *eandem partitionem* P¹. — *quodsi ... expositum* M. — *quodsi ... plures* in ras. S. — *incidet* (*n* s. adpos.) V. 14. *primae* VS. — *part. causae* M. — *erit* extra l. V. 15. *eo* om. P¹, fortasse rectius (*eo temp.* Iul. Vict.). 16. *Post partitionem* V, quod tametsi Vict. in explicatione habet, tamen hac ipsa causa mihi suspectum est, et om. Iul. Vict. — *Atque ... fecisse* (19) M. — *atque* (*at* in ras.) S. — *illud* s. l. V. 17. *aut* om. M. 18. *nos dem. esse dicamus* M. 19. *arguimus* (*i* in ras.) SMω. — *et vol. et pot. et fecisse* M. 20. *particio* V. — *et* in ras. S. *Et cum* certe falsum est, quia non duae res aguntur, sed nescio utrum membrum

simplex quiddam agatur, tamen utamur distributione, id quod perraro potest accidere. Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tanto opere pertineant, quam versantur in philosophia, ex quibus haec ipsa transtulimus, quae convenire viderentur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus. Atque his de partitione perceptis in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur et omnibus explicatis peroratum sit [hoc modo], ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quae cognoscere libertum velit:

Eo pacto et gnati vitam et consilium meum
Cognosces et quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam:

Nam is postquam excessit ex ephebis.

Deinde suum consilium:

Et nunc id operam do.

Deinde quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam quamque partem primum accessit et omnibus absolutis finem dicendi fecit, sic nobis placet

---

genuinum sit. 𝔐 hoc solum habet: *deinde cum simplex quiddam in controversia sit, nos tamen distr. utamur.* 1. *idque* V. 2. *accedere* V, cf. p. 15, 23. — *ac ... pertineant* M. — *alia quaque* V, *aliquaque* P^1. 3. *hunc* s. l. V. — *tanto////pere* V, *tantopere* S. — *quam* W, *quae* C, *sed quae* Ernesti. 4. *ex quibus*] *de qua* 𝔐. 5. *venire* V^1. — *viderentur* W, *videntur* VS, *videbantur* Pω. — *inveniebamus* (*eb* corr. in *ib*) S. 6. *Atque ... oportebit* M. — *perceptis* W, *praeceptis* CM. 9. *hoc modo* incl. K. 10. *terr.* VS. 11. *quae*] *q;* V^1 quo V^2. 12. Andr. v. 49—51. — *nati* VS. — *et cons. meum* in ras. S. 13. *cognoscens* VP^1. — *velim* in ras. S. 15. *nati vitam* S, *nati vitam* /////////// V, *ut vitam fili* P, *vitam filii* AT, quod rec. K. V in mrg. habet *fili* infra duos versus. 16. *nam is* om. VS (ille fortasse in ea quam ad v. 15 indicavi lacuna). — *postquam,* cf. 26, 14. — *ephebis///* V, *ephebis* (s. m. 2 adpos. *sosia*) S(P?), *ephebis sosia* ω. 18. Andr. 157. — *operando* PV. 19. *Denique? — id quod*] *idque* V^1. 21. Andr. 168. — *tuomst* Ter.

et ad singulas partes accedere et omnibus absolutis perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipse postulat, praecipiendum videtur.

XXIV. 34. Confirmatio est, per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa sunt praecepta, quae in singula causarum genera dividuntur. Verumtamen non incommodum videtur quandam silvam atque materiam universam ante permixtim et confuse exponere omnium argumentationum, post autem tradere, quemadmodum unum quodque causae genus hinc omnibus argumentandi rationibus tractis confirmari oporteat.

Omnes res confirmantur aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac personis has res attributas putamus: nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, adfectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen est, quod uni cuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur. Naturam ipsam definire difficile est; partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius est. 35. Eae autem partim divino, partim mortali in genere versantur. At hominum genus et in sexu con-

---

1. *accede* (*re* s. l. adpos.) V. — *ominibus* S. 2. *or* (*do* s. l.) V. 4. *Conf. ... oratio* M. — ///// *confirm.* S, *et conf.* V. 7. *genera dividuntur* VS, *genera dividentur* 𝔐 231, 36, *dividentur genera* P, rec. K. 8. *universam* S^1P^2, *universarum* VP^1, *universaliter* S^2, *universe* 𝔐. — *permixtim et confuse* W, *permixtam et confusam* C, incl. K. Sed cf. I 49. 10. *unum quodque* VP, *videtur quodque* S^1, *videtur unum quodque* S^2. 11. *vel tractatis* V, *tractis* (*tis* in ras.) S. 12. *oĩns* V, *omnis* (*nis* in ras.) S, *omnis* $MP^2\omega$. — *confirmantur* VP^1, *confirmatur* MP^2S (hic in ras.) ω. Ante *confirm.* add. PVM *argumentando*, nam Kays. in adn. erravit. — *quod*] *qu ...* V^1, *quod* V^2. 12/13. *ex eo quod* om. V^1, add. V^2. Licet conicere: *confirm. autem ex eo quod personis aut neg. est attributum.* 13. *adtr.* V. — *adtr.* VS. 14. *aff.* VS. 15. *studium* 𝔐. — *quod* in ras. S, om. AT. 16. *datur* in ras. S (om. AT), *quod ... datur* antiqua manu sed diverso atramento est in V, *nomen est unius cuiusque personae* M(Δ), *nomen est cuique personae* M (Fris.), *nomen est cuique personae, quo quaeque suo proprio et certo vocabulo appellatur* 𝔐. Idem quod S praebere videtur P. 17. *def.* V^1, *dif.* V^2, *diff.* S. — *difficile* in mrg. S. 19. *eae* PV, *hęę* S, *hae* ω. 20. *versantur*] add. PS: *mortalium autem pars in* (s. l. S) *hominum pars in bestiarum genere numerantur* (*n* del. S^2), om. V^1, add. in sup. mrg. V^2, del. W, nam Cicero ipse hanc insipientem sapientiam deinceps nihil curat, cum non indigeat ad praeceptionem suam. — *at* VS, *atque* $P\omega$,

sideratur, virile an muliebre sit, et in natione, patria, cognatione, aetate. Natione, Graius an Barbarus; patria, Atheniensis an Lacedaemonius; cognatione, quibus maioribus, quibus consanguineis; aetate, puer an adulescens, natu grandior an senex. Praeterea commoda et incommoda considerantur ab natura data animo aut corpori, hoc modo: valens an inbecillus, longus an brevis, formosus an deformis, velox an tardus sit, acutus an hebetior, memor an obliviosus, comis an infacetus, pudens an contra. Nam quae industria conparantur, ad habitum pertinent, de quo posterius est dicendum. XXV. In victu considerare oportet, et apud quem et quo more et cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In fortuna quaeritur, servus sit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum potestate; si cum potestate, iure an iniuria, felix an infelix, clarus an contra, quales liberos habeat. Ac si de non vivo quaeretur, etiam quali morte sit adfectus, erit considerandum. 36. Habitum autem appellamus animi aut cor-

---

at commodissimum est, quod divinum genus in partitione positum praetermissurus est in expositione. 1. *cognatione* om. V¹. 2. *aetate cognatione* S, quod quomodo ortum sit apparet ex V: *aetate* ///////// *natione graius* (supra *ate* et ras. *cognatione* add. m. 2, in ipsa ras. adhuc agnoscitur *cog*, ut oculus scribentis aberrasse videatur). — *grecus* S²ω. — *lacedemonius* V. 4. *adol.* VS. — *gradior* (*n* s. adpos.) V. 6. *inbecill//is* S Alb. 537, cf. Vict. 217, 15. — *formonsus* VΔ. 7. *hebicior* VS. 8. *comis an infacetus*, Linsmayer, *comis officiosus an infacetus* PV²S², *comes* ... *infacetis* V¹S¹ (in hoc *an infacetis* punctis del.), *comis officiosus* Mω. — *pudens an* K, *pudens patiens an* CM. — *contra*] add. VPS²: *et omnino quae a natura dantur animo et corpore* (*-ori* V²) *considerabuntur et in* (del. *in* V) *haec in* (*in* extra l. V² add.) *natura consideranda* (*est* add. S), *dantur animo* ... *in natura* om. S¹, totum emblema incl. K. 9. *que* (*q̃*;) V. 10. *In victu* ... *servus* (15) M. — *et apud* W, *apud* C, ἀσυνδέτως haec enumeravit M. 11. *quem* VSP corr., „qui quid prius habuerit non liquet", *quos* Alb. Mω. — *arbitratus* (*s* del.) V. 13. *questu* V. 15. *si servus* S. — *an liber sit* ... *quaeretur* (18) M. — *pecuosus* (*ni* s. l. add.) V. 16. *aniuria* V¹S¹. 17. *felix an infelix* W Alb., *felix* C, *utrum felix* M, cf. II 30. — *qualis* M. 18. *aut si* S². — *quaereretur* VP, *queritur* in ras. S. — *quale* V. — *aff.* VS. 19. *Habitum* ... *perf.* M. —. *abitum* S. — *autem* V¹, *autem hunc* V²PSM. — *aut corporis* incl. K, sed cf. II 30 et Victorinum.

poris constantem et absolutam aliqua in re perfectionem, ut virtutis aut artis alicuius perceptionem aut quamvis scientiam, et item corporis aliquam commoditatem non natura datam, sed studio et industria partam. Adfectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas et alia, quae in eodem genere reperiuntur. Studium est animi adsidua et vehementer ad aliquam rem adplicata magna cum voluptate occupatio, ut philosophiae, poëticae, geometricae, litterarum. Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio. Facta autem et casus et orationes tribus ex temporibus considerabuntur: aut quid fecerit, quid ipsi acciderit, quid dixerit; aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat; aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione. Ac personis quidem haec videntur esse attributa.

XXVI. 37. Negotiis autem quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adiuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper adfixa esse videntur ad rem neque ab ea possunt separari. Ex eis prima est brevis conplexio totius negotii, quae summam continet facti, hoc modo: Parentis occisio, patriae proditio; deinde causa eius summae, per quam et quamobrem et cuius rei causa factum sit, quaeritur; deinde ante gestam rem quae facta

---

1. *aliquam re* extra l. V. — *ut*] *aut* VP. — *virtute*// S, *virtutem* M. 2. *aut* (altero loco) MS², *ut* PVS¹. — *quamvis* (s. add. *aliquam, quamcumque*) V. 4. *Adfectio ... commutatio* M. — *aff.* VS. — *et ex* V. 5. *commutatio* (*ut* in ras.) S, an *commotio?* 6. *genere in eodem* ω. — *repp.* V. — *studium est* M, *studium est autem* C, *studium autem est* M. 7. *ass.* VS. — *vehementer* VP, *vehemens* Sω, quod ex M ortum videtur, qui *vehemens* pro *vehementer adplicata* habet, cf. II 31, ubi veram scripturam rec. K. 8. *voluptate* W Alb., *voluntate* CM, sed cf. II, 31. — *phylosophyae* S. — *poeticae* in ras. S, *aliter: poetriae geometriae* mrg. S. — *geometriae* ω (non M), sed cf. Madv. Fin. I 4 p. 46 (ed. III). 9. *aut non faciendi* C, *non faciendive* cum Schuetzio Orelli et Baiter secundum emblema quod est II 31. 10. *vere excogitata* P²S² (non M). 11. *temporis* P¹. — *aut quid fecerit* W, *quid fecerit aut* C, *aut* incl. K. 12. *quid dixerit* K, *aut quid dixerit* C. — *aut* (priore l.) VS, *et* P, rec. K. — *aut* C, *et* S². 13. *ratione* VP. 14. *ac personis ... negotiis autem* M. 14 et 15. *adtr.* VS. 17. *partim adiuncta* in ras. S. 18. *consecuntur* VS¹. 19. *aff.* VS. 20. *eis* W, *his* C. 21. *contine*//*t* V, *continent* P. 22. *deinde ... quaeritur* (23) M. — *rei* om. MM. 23. *quaeritur* VS, *quaeretur* P.

sint continenter usque ad ipsum negotium; deinde, in ipso gerendo negotio quid actum sit; deinde, quid postea factum sit.

38. In gestione autem negotii, qui locus secundus erat de eis, quae negotiis attributa sunt, quaeretur locus, tempus, occasio, modus, facultas. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci et vicinitate totius regionis; ex his etiam attributionibus: sacer [an] profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit aut fuerit. 39. Tempus autem est (id quo nunc utimur, nam ipsum quidem generaliter definire difficile est,) pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, menstrui, diurni nocturnive spatii certa significatione. In hoc et quae praeterierint, considerantur; et eorum ipsorum, quae aut propter vetustatem obsoleverint aut incredibilia videantur, ut iam in fabularum numerum reponantur; aut quae iam diu gesta et a memoria nostra remota tamen faciant fidem vere tradita esse, quoniam eo-

---

1. *sunt* PVS (in his $\bar{s}$). — *continentur* PV. 4. *his* C. — *que* P. — *adtr.* VS, *attributi* P. — *quaeretur* V¹P, *quaeritur* Sω. — *occasio modus* Mω, *modus occasio* C, quod rec. K, sed expositionis repugnat ordo, cf. § 40. 41. Et si qui est error, hic ad maius vitium adnectitur. Nam *modus* deest II 40, illic praeclara est *facultatis* definitio, hic facultas et facultates (§ 38. 41) miscentur nec quid illa sit aperte declaratur. 5. *facultas* C, *facultates* Mω, cf. II 40. — *locus ... habuisse* M. 6 (et 7). *oport.* VS. — *quem* V¹S¹. 9. *vicinitate et totius* P, *vicinitatis et totius* S²ω Rhet. 594 — *adtribu*/////////*tionibus* V. 10. *sacer an* MωP²S², *sacer* VP¹S¹. — *publicus an* Mω, *publicus anne* C. — *alienus an* VP¹SM, *alienus anne* P². Cicero aliter ac Cornificius (II 7) interrogationum formas variasse videtur, cf. Halm ad Parad. 24, ibique 20: *auri navem evertat an paleae,* de Fin. IV 76: *aurum paleamne portet.* 11. *de quo agitur ... nam ipsum* om. S¹, in mrg. add. S² — *tempus autem est ... utimur* M. 12. *definire ... aetern.* M. — *def.* V¹, *dif.* V², *diff.* S. 13. *menstrui* V, *mestrui* P¹, *mensurni* (*urni* in ras. et s. l. *trui*) SP². Priscian. II 62 *mensurni* formam primo rhetoricorum Cic. vindicavit, fortasse ex vitiato exemplari, sed quoniam S *trui* s. l. habet, haec res etiamnunc incerta relinquitur. 15. *quae aut* C, *quae* ω. 16. *obsoleverunt* P (?), *obsoluerunt* VS, cf. § 4. — *aut incred.* C, *ut incred.* ω. — *vide*//*antur* S. — *ut iam* C, *et iam* ω. — *in* om. P¹. 17. *numerum* PV, *numero* (*o* in ras.) Sω, cf. I 97, Baiter ad de ND. III 47. — *aut* W, *et* C. 18. *faciant*] *a nobis* add. S². — *vera* P¹. — *quoniam* W, *quia* VS¹, *quod* PS².

rum monumenta certa in litteris exstent; et quae nuper gesta sint, quae scire plerique possint; et item quae instent in praesentia et cum maxime fiant, et quae consequantur. In quibus potest considerari, quid ocius et quid serius futurum sit. Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda. Nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium et videre, potueritne aut magnitudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi tempore. Consideratur autem tempus et anni et mensis et diei et noctis et vigiliae et horae et in aliqua parte alicuius horum. XXVII. 40. Occasio autem est pars temporis habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt: nam genere quidem utrumque idem esse intellegitur, verum in tempore spatium quodam modo declaratur, quod in annis aut in anno aut in aliqua anni parte spectatur, in occasione ad spatium temporis faciendi quaedam opportunitas intellegitur adiuncta. Quare cum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam et specie, ut diximus, differat. Distribuitur autem in tria genera, publicum, commune, singulare. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. Commune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut messis, vindemia, calor, frigus. Singulare [autem] est, quod aliqua de causa privatim alicui solet accidere, ut nuptiae, sacrificium, funus, convivium, somnus. 41. Modus autem est, in quo, quemadmodum et quo

1. *moni//menta* S. — *quae* om. V, fortasse: *et nuper quae.* 2. *sit* (*n* s. add.) S. — *possunt* C. 3. *et cum* VP^{1}S^1, *et quae cum* P^2, *et quae* S^2. — *maximae* P^1. 4. *otius* VS. — *et* (post *ocius*) om. Emmeranus. — *et item ... consideranda* (6) M. 8. *tempore* PS^2, *temporum* VS^1. 9. *noxtis* S^1. — *et orae* V^1. 10. *occasio est autem ... opportunitatem* (12) M. — *occasi(o* m. 2 add.) V. — *autem est* C. 11. *idoneam cummonem* (corr. *cummoditatem*) *habent tempus et occasio faciendi* (in mrg. *communionem*) V, *idoneam commo* (utrumque *o* corr. in *u*) *nem. habent tempus et occasio faciendi* S „Vetus est glossema, ipsum iam corruptum ex scriptura: *communem habent tempus et occasio*, scilicet idoneam faciendi opportunitatem". Linsmayer. — *aut non faciendi* incl. K, est in M. 12. *oport.* VS. 13. *intelligitur* S. 15. *a* prius in *aliqua* s. l. V. 16. *oport.* VS. 18. *distribuitur autem* W, *haec distr.* ω, *h. distr.* V^1, *hoc distr.* V^2, *hoc* S^1, *hec* S^2, *hic* P^1, *hoc* P^2 corr. in *haec*, quod ex Vict. 224, 39 ortum videtur. Cf. ad p. 43, 6. 19. *sigulare* (*n* s. add.) V. 20. *ludum* S. — *festos* (*o* in ras.) S. 21. *accidit* in ras. S. 22. *autem* incl. cum Ernestio K. 24. *Modus ... quaeritur* (p. 38, 1) M.

animo factum sit, quaeritur. Eius partes sunt prudentia et inprudentia. Prudentiae [autem] ratio quaeritur ex eis, quae clam palam, vi persuasione fecerit; inprudentia aut in purgationem confertur, cuius partes sunt inscientia, casus, necessitas, aut in adfectionem animi, hoc est molestiam, iracundiam, amorem et cetera, quae in simili genere versantur. Facultates sunt, aut quibus facilius aliquid fit aut sine quibus confici non potest.

XXVIII. Adiunctum negotio autem id intellegitur, quod maius et quod minus et quod aeque magnum et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod contrarium et quod disparatum, et genus et pars et eventus. Maius et minus et aeque magnum ex vi et ex numero et ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur. 42. Simile autem ex specie conparabili aut ex conferenda atque adsimilanda natura iudicatur. Contrarium est, quod positum in genere diverso ab eo, cui contrarium dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, vitae mors. Disparatum autem est id, quod ab aliqua re praepositione negationis sepa-

---

2. *autem* cum Ern. incl. K. — *his* C. — *clam* sup. ras. V. 3. *aut in* W, *autem in* C, *in* K. 4. *aut in* Linsmayer, *et in* (*et* s. l.) SP²ω, *in* VP¹. 5. *affectionem* S, *affectione* VP¹. 6. *que* V¹. — *Facultates ... non potest* M. — *sunt aut* C, *sunt autem* Δ. Mihi maius vitium subesse videtur, cf. II 40: *in facultate copia et potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit aut quibus sine omnino confici non potest, consideranda est.* 7. *aliquid fit* W Rhet. 595. 309, *fit* C. — *quibus*] add. V¹ *aloquo,* V²P¹ *aliquo,* S *aliquod,* ω *aliquid,* Linsm. *aliquid omnino* ex II 40. Mihi *aliquid* ex margine in contextum alieno loco inlatum et depravatum videtur. 8. *Adiunctum ... quod maius* M. — *autem* PSM, *at* V¹, s. l. *autem* V², quod ante *negotio* ponendum esse punctis (:) ostenditur. 9. *et quod* (*quod* om. V) *aeque magnum* post verbum *agitur* (10) habent C, eundemque ordinem servavit Rhet. 595 𝔐 p. 226, 41, huc transtulerunt iam pridem ω. Atque illud membrum a margine inlatum, quoniam in V *quod* deest, pro falso additamento ducerem, nisi eandem adiunctorum rationem et seriem II 41 propositam viderem. Victorinus quidem illi membro non admodum favet nec p. 226 nec in ipsa interpretatione p. 227. Quare suspitio oritur etiam v. 11 et II 41 istuc *aeque magnum* tamquam magistrorum additamentum eiciendum esse. — *ei* ω, *in* VP, ////// S. 10. *quod ag.* VP¹S¹. 11. *maius ... mors* (16) M. 13. *considerantur* S². — *conparali* V. 14. *conferenda* (*e* alterum in ras.) S, *conferunda* V. — *assimil.* (*il* in ras.) SV. 15. *eo* M, *eodem* Codd. — *contrarium* sine *esse* etiam M. 17. *ab* s. l. V. — *praepositione* (*ti* s. l. V) VP¹S, *per oppositionem* P²ω. — *negotionis* V.

ratur, hoc modo: sapere et non sapere. Genus est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas. Pars est, quae subest generi, ut amor, avaritia. Eventus est exitus alicuius negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum sit. Quare hoc in genere, ut commode, quid eventurum sit, ante animo conligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: Ex adrogantia odium, ex insolentia adrogantia.

43. Quarta autem pars ex eis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio est. In hac eae res quaeruntur, quae gestum negotium consequuntur: primum, quod factum est, quo id nomine appellari conveniat; deinde eius facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis eius et inventionis conprobatores atque aemuli; deinde ecqua de ea re aut eius rei sit lex, consuetudo, pactio, iudicium, scientia, artificium; deinde natura eius, evenire vulgo soleat an insolenter et raro; postea: homines id sua auctoritate comprobare an offendere in eis consuerint, et cetera, quae factum aliquid similiter confestim aut ex intervallo solent consequi. Deinde postremo attendendum est, num quae res ex eis rebus, quae positae sunt in partibus honestatis aut utilitatis, consequantur; de quibus in deliberativo genere causae distinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res haec, quas commemoravimus, sunt attributae.

XXIX. 44. Omnis autem argumentatio, quae ex eis locis,

---

1. *sapere, non sapere* ωM. — *Genus ... consider. est* (7) M. 2. *pars est*] *est* om. M. — *quae// subest* in fine et initio versuum add. V^2, om. V^1. An scribendum est: *pars subest generi?* — *genere* V^1. 4. *quaque*] *quare* S^1. — *eventurumque* ω. 5. *commode* CM, *commodi* Δ, *commodius* ω. — *quod* V^1. 6. *colligi* VS, *concipi* M. 7. *arrog.* VS (bis). 8. *quarta ... consecutio* M. — *ex* V, *est ex* PSω. — *his* C. — *qua* P^1. 9. *adtr.* VS. — *consecutio est* W, *consecutio* C. M. — *hac*] *haec* P^1. 10. *primum ... adtendendum est* (18) M. — *primo* M. — *quo*] *quod* P^1. 12. *denique* P^2SV^2, *deque* V^1, *deinque* P^1 (h. e. *deque* suprascr. *ni*). — *inventiones* V^1. 13. *aemuli* (s. l. *imitatores*) V. — *ecqua* Δ^1, *et quae* C, *haec qua* Δ^2. — *de ea re* CM, *ea de re* ω. — *eius rei* M. 16. *defendere* V^1, *offendere* V^1 corr. S^1M, *offendi* in ras. PS^2. — *his* C. — *consuerunt* V^1P, *consueverunt* SV^2. 17. *aliquid* VS^1P^1 Frising. Vict., *aliquod* $S^2P^2\Delta$K. 18. *postremum* M. — *adt.* V. — *numq,* S. 19. *ex is* V^1, *ex his* V^2PS. 21. *haec* P^1, *hae//* V, *hae* S, *eae* ω, cf. II 61. 22. *adtr.* VS. 23. *omnis ... debebit esse* (p. 40, 2) M. — *autem* post *argum.* P, rec. K. — *ex* om. C, add. S^2ωM. Illud veteris scripturae *eis,* qua *ecs* absorpta est, certum vestigium est. — *his* C.

quos commemoravimus, sumetur, aut probabilis aut necessaria debebit esse. Etenim, ut breviter discribamus, argumentatio videtur esse inventum aliquo ex genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie demonstrans. Necessarie demonstrantur ea, quae aliter quam dicuntur nec fieri nec probari possunt, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maxime tractatur in dicendo aut per conplexionem aut per enumerationem aut per simplicem conclusionem. 45. Conplexio est, in qua, utrum concesseris, reprehenditur, ad hunc modum: Si inprobus est, cur uteris? si probus, cur accusas? Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis una reliqua necessario confirmatur, hoc pacto: Necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum aut metus aut spei aut alicuius amici gratia aut, si horum nihil est, ab hoc non esse occisum; nam sine causa maleficium susceptum non potest esse: sed neque inimicitiae fuerunt nec metus ullus nec spes [ex morte illius] alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus. Simplex autem conclusio ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo: Si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, quo ego ipso tempore

---

1. *quos*] *quae* corr. ex *quo* aut *quos* V, *quos* corr. ex *quae* S (et P?). — *probabiles* V^1. 2. *discribamus* V, *descr.* PS. 3. *inventu* V, *inventa* S^1, *inventio* S^2. — *ex aliquo* ω. 4. *necessarie*, cf. II 4. — *demostratur* (*n*—*n* s. l. add.) V. 5. *quam* W, om. $V^1\Delta^1$, *quod* Δ^2F^1, *ac* $V^2PS\omega$, cf. II 136. Quam late pateat cum aliis in libris tum in hac arte Ciceronis usus vocabuli *quam* post *aliter* aut *alius*, hac de re vide C. W. Muelleri adn. in Seyff. ad Lael. comment. p. 129. 7. *demonstration*(*e* s. l. add.) V. — *maxime* (*me* in ras.) S. 9. *Conplexio... reprehendetur* (sic!) M. 13. *necesse... occisum* (15) 𝔐. 16. *esse non potest* ω. — *sed* $P^2\omega$, *si* P^1VS, quod rec. K deleto v. 19 *igitur*, cui rei repugnat 𝔐 233, 42: *postremo contrarium conclusit: si igitur horum nihil est, non occidit.* Quod exemplum quemadmodum *si* ex *sed* conpendii forma commutabili ortum sit aperte demonstrat, ac praeterea quomodo Cic. Verr. I 36 attulit inmutatum. 17. *illius* om. V^1, ut *ex morte* explicandi gratia adscriptum ac deinceps inlatum esse videri possit. 18. *uius* (*h* s. l. add.) V. 19. *relinquatur* P, *Relinquetur* (*n* corr.) V. — *ergo* ω. — *Simplex... conficitur* M. 21. *quo ego ipso* W, *ego /// eo ipso* VS, *ego autem eo ipso* Pω, sed cf. 𝔐: *si illo tempore, quo vos me istud fecisse dicitis, ego trans mare fui, relinquitur ut id ego non fecerim nec potuerim facere.* Quae nisi essent, ego eo inclinarem

trans mare fui, relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter oportebit videre, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut ne confirmatio modum in se argumentationis habeat et quandam similitudinem necessariae conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

46. Probabile autem est id, quod fere solet fieri aut quod in opinione positum est aut quod habet in se ad haec quandam similitudinem, sive id falsum est sive verum. In eo genere, quod fere fieri solet, probabile huiusmodi est: Si mater est, diligit filium; Si avarus est, neglegit ius iurandum. In eo autem, quod in opinione positum est, huiusmodi sunt probabilia: Inpiis apud inferos poenas esse [paratas]; Eos, qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse. XXX. Similitudo autem in contrariis et paribus et in eis rebus, quae sub eandem rationem cadunt, maxime spectatur. In contrariis, hoc modo: Nam si eis, qui inprudentes laeserunt, ignosci convenit, eis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. 47. Ex pari, sic: Nam ut locus sine portu navibus esse non potest tutus, sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse. In eis rebus, quae sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur: Nam si Rhodiis turpe non est portum locare, ne Hermocreonti quidem turpe est conducere. Haec tum vera sunt, hoc pacto: Quoniam cicatrix est, fuit vulnus; tum veri similia, hoc modo: Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat.

Omne autem (ut certas quasdam in partes tribuamus) pro-

---

ut proponerem: *si ego eo ipso tempore* etc., cf. Alb. 539, 25. 1. *relinquitur*] *ergo* add. S^2. 3. *videre oportebit* M. — *q.*(*uo* s. l. add.) V. 4. *argumentationis*] *solum* add. P, om. V, ante *modum* S, del. W. — *habet* PV^1. 5. *ex* P, s. l. S, *et* V. 6. *consistat* (*at* in ras.) S, *consistit* VP, *constet* ω. 7. *id quod ... positum est* s. l. add. habet m. antiqua V. — *vere* VP^1 Alb., cf. v. 9. 9. *est* om. P^1. — *vere* V^1P^1. 11. *oppinione* S. 13. *paratas* Pω, *praeparatas* C, del. W nec habuisse videtur Vict., cf. 235, 20 et 44. 14. *his* C. 15. *sub eandem rationem* Quint. V 10, 78. 16. *his* C. — *qui* P^2S, *quae* V, *qua* P^1. 17. *is* (s. l. *h* add.) V, *his* PS. — *quae* V. 18. *ut* s. l. V. 20. *esse* om. P^1. — *his* C. 21. *portum* VS^1 (P^1?), *portorium* $S^2\omega P\mathfrak{M}$ Quintiliani (l. l.) libri, sed cf. Verr. II 171, Iuv. III 31. 22. *nec* S^2. — *hermocreonti* $P^1S\mathfrak{M}$, *hermocreanti* (*v* sup. *a*) V, *hermacreanti* P^2, cf. Iacobs ad Anthol. Gr. XIII p. 902, Strabo 588: *Ἑρμοκρέοντος ἔργον*. — *tum* om. P^1. 26. *trib.* VS^1M, *dissrib.* $PS^2\omega$.

babile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est aut credibile aut iudicatum aut conparabile. 48. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit aut in ipso negotio aut post sit consecutum et tamen indiget testimonii et gravioris confirmationis, ut cruor fuga, pallor pulvis et quae his sunt similia. Credibile est, quod sine ullo teste auditoris opinione firmatur, hoc modo: Nemo est, qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat. Iudicatum est res adsensione aut auctoritate aut iudicio alicuius aut aliquorum conprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, adprobato. Religiosum est, quod iurati legibus iudicarunt. Commune est, quod omnes vulgo probarunt et secuti sunt, huiusmodi: ut maioribus natu adsurgatur, ut supplicum misereatur. Adprobatum est, quod homines, cum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate, velut Gracchi patris factum populus Romanus, qui eum deprecatum Appium reum, quod insciente se collega in censura nihil gessisset, post censuram consulem fecit. 49. Conparabile est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Eius partes sunt tres: imago, conlatio, exemplum. Imago est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem.

---

4. *videtur*] hic sequebatur unum vocabulum in lacero loco nunc erasum V. — *quod autem* P¹, *quod cum aut* P². 6. *pallor*] Hinc ras. unius vocabuli (*pavor?*) in V. 8. *qui*] *quam* P¹. — *incolomes* VS. 9. *assensione* VS, *assentione* P¹. 11. *adpr.* V, *appr.* S. 12. *iuradi* S. — *omnes* VS¹P²M, *homines* S²P¹ω, rec. K. Ego non dubito quin in P quoque *omnes* in *homines* correctum sit. 13. *aut maioribus* V. — *assurg.* VS. 14. *suplicum* V¹. — *appr.* S. 15. *esset*] *est et* VS¹. — *oporterit* V. 16. *velit* S¹, *velut* S². Hic in cod. Pal. I hoc emblema subsequitur: *Horatii factum a populo approbatum quod occidit sororem cum illa devictum Curiatium hostem doleret, vel ut.* Atque utitur hoc exemplo iam Vict. 238, 34. Nos cum Orellio et Baitero delevimus, K inclusit. — *grachi* V. — *populus* C, *quem populus* S²ω. — *deprecatum Appium reum* W, *ob id factum eo* C (in S *eo* punctis del.). 17. *insciente se* W, *insciente* C. 18. *gessisset* W, *gessit* C, *egisset* ω. Baiterus coniecit: *velut Gracchi patris factum p. R.* (sc. sua auctoritate constituit), *qui eum ob id, quod insciente collega non nihil gessit, post censuram consulem fecit,* idque probavit Kaysero. Sed cf. de rep. VI 2, de Or. I 38, denique Vict., cuius exemplar iam corruptum fuerat. — *consulem* corr. ex *consules* V. — *conprobabile* V¹, *conparabile autem* V²PSM.

Conlatio est oratio rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum est, quod rem auctoritate aut casu alicuius hominis aut negotii confirmat aut infirmat. Horum exempla et discriptiones in praeceptis elocutionis cognoscentur. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus est nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, [demonstratus est]; quemadmodum autem quaeque constitutio et pars constitutionis et omnis controversia, sive in ratione sive in scripto versabitur, tractari debeat et quae in quamque argumentationes conveniant, singillatim in secundo libro de uno quoque genere dicemus. In praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixtim dispersimus, post discripte et electe in genus quodque causae, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus.

50. Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit; oportebit autem inventa exornari et certas in partes distingui, quod et suavissimum est et summe necessarium et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare de ea praeceptione nobis etiam hoc loco dicendum visum est, ut ad inventionem argumentorum ratio argumentandi adiungeretur. Et magna cum cura et diligentia locus hic omnis considerandus est, quod rei

---

1. *rem* s. l. V. — *re*] *re*//// V. 2. *ca*//*su* S. 3. *firmat* (*in* s. l. add.) V. — *discriptiones* V, *descriptionis* S¹. 6. *demonstratus est* VS, *demonstratus* P, rec. K. Sed mihi *demonstratus est* omnino suspectum ut glossema ad *apertus est* adscriptum. — *autem*] *h'* V, quod conpendium explicavit E. Wunder Var. Lectt. XXXVIII, indicavit Halm Or. vol. II 1057, 1. Mihi ex AV (= aũ) ortum videtur. In V tria quattuorve exempla reperiuntur. 7. *sive in ratione* s. l. V. 8. *versabatur* VP¹, *versetur* P². Ante hoc verbum add. *quae* S². 9. *quaque* S¹, *quasque* S²ω. — *argumentationis* V. 10. *dicimus* VS¹. — *tamen modo* V. — *numerum* P¹M. 11. *permixti* aut *permixte* ω. 12. *discriptae et electae* (*ę*) PS, *disscripte et electe* V. — *genus quoque* V¹. 15. *oportebit autem* add. W, cf. 𝔐: *sed haec ipsa argumenta debemus, inquit, artificiosa dictione distinguere.* Inde K: *sed inventam . . . distingui oportet* etc. — *inventa* V, *inventam* PSω. 16. *quod* add. K, *quia* 𝔐. 17. *quare* K, *quare et* C. — *ea* s. ras. S. 18. *etiam* W, *et in* C, *statim* K, *in* (om. *et*) ω. 19. *argumentorum ratio argumentandi* W, *argumenti* VPS¹, *argumentandi* S²AT, *argumenti absolutio* ω, *argumenti absolutio quoque argumentandi* Vulg. Codicum C lectionem rec. K. — *Et . . . difficultas* (p. 44, 2) incl. K. 20. *locu*(*s* s. l. add.) V. — *omnes* V¹. Hic in fine pag. vacuum spatium in V — *considerandu*(*s* s. l. add.) *est* V. — *quod non rei solum* (= ω) *magna est util. sed . . . diff.* (p. 44, 2) 𝔐.

non solum magna utilitas est, sed praecipiendi quoque summa difficultas.

XXXI. 51. Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda est aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat adsensiones eius, quicum instituta est; quibus adsensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter earum rerum, quibus adsensit, similitudinem probetur; velut apud Socraticum Aeschinen demonstrat Socrates cum Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte Aspasiam ita locutam: Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illudne an tuum malis? Illud, inquit. Quid, si vestem aut ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? Respondit: Illius vero. Agesis, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum malis an illius? Hic mulier erubuit. 52. Aspasia autem sermonem cum ipso Xenophonte instituit: Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuumne equum malis an illius? Illius, inquit. Quid si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid, si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utrum tuamne an illius malis?

---

1. *utilit(as* s. l. add.) V. 3. *omnis ... instituta est* (5) M. 4. *ratiotinationem* V. Sic haud raro nec vero semper VS. 5. *assensi(ti* S) *ones* SP^2, *assentionem* P^{1}V, in hoc littera *s* post *ẽ* erasa est. 7. *ass.* V. — *similitudinem* V (antiqua m. in marg.) S, ante *earum* habet Pω, et ante hoc ipsum vocabulum exstat in mrg. V positum. — *velut* (*t* in ras.) V, fuerat certe *velud.* 8. *Aeschinen* Quint. V 11, 27, *aescinen* C. — *zenoph.* V (bis). 9. *aspassiam* VS. — *ita locutam* W, *laqtam* V^1, *lavqvtam* (*vv* sup. *q*) V^2, *la(o* s. l.) *cuutam* (alterum *u* del.) S, *locutam* PV mrg. — *dic mihi ... an illius* (15) Quint. V, 11, 28. 10. *habet* VS. — *qu(am* s. l.) V. 11. *illudne* Alb. C, *illiusne* S^{2}P^2, *utrumne illius* ω. 12. *aut* VS^1, *et* Alb. PS^2. *muliebre* S. 13. *habes* om. Quint. 14. *sis* del. in S, om. Alb. — *inquit si* Quintiliani libri, *inquit quid si* Alb. C, rec. K, at hoc vix latinum est: *age sis* quidem eandem in se habet vim quam *quid* in progressione interrogationis. Atqui *quid* illud natum est ex *inquid* suprascr. *quit* (cf. Quint. Bg.) aut ex *inquit* suprascr. *quid.* — *quam* (*a* in ras., ut *quem* scriptum fuisse videatur) V. 15. *tuum malis* W, *tuum virum malis* P Quint., *tuum malis virum* VSAT. — *aspassia* VS. 16. *xenofonte* V. 17. *xenofon* V. — *quam*] *qui* V^1 (item v. 19). 21. *utrum tuamne an illius malis* W, *tuamne malis an illius* 𝔐, *utrum illius malis* Pω, *utrum malis* Alb. VS, *utram malis* Leid. I II.

Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: Quoniam uterque vestrûm, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu, mulier, optimum virum vis habere et tu, Xenophon, uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior neque femina lectior in terris sit, profecto semper id, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, [ut et tu maritus sis quam optimae et haec quam optimo viro nupta sit]. Hic cum rebus non dubiis adsensum est, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videretur, si qui separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur. 53. Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse adferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod ipse ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario adprobare deberet.

XXXII. Hoc in genere praecipiendum nobis videtur primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedere. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile eis rebus sit, quas res quasi non dubias ante induxerimus,

---

1. *hic* s. l. V. — *ipse* s. l. V. — *aspassia* VS. 3. *voluero* C. 5. *habere*/// V, om. Alb. 6. *profecto ... requiretis* om. S^1, add. mrg. S^2, V habet in extrema pagina. 7. *optumum* V. — *requiritis* V. 8. *ut et tu* ω, *et tu* C. Ego hoc enuntiatum, tametsi tueri videtur Alb. et M 242, 9, cum superioris sententiae *ut neque ... in terris sit* interpretamentum esse ducerem, uncis inclusi. Quo additamento a margine in contextum adsumpto factum est ut in S altera sententia extricaretur. Cf. Vict. 241. — *aritus* (*m* s. l. add.) V. — *optumae* V. 9. *assensum est* P^1S, *assensum* (s. *um* add. *s*) V, *assensum esset* P^2, *esset assensum* ω. — *factum* V^1, *factus* V^2. 10. *vederetur* S^1. — *si qui* V^1S^1, *si quis* V^2S^2P. 11. *et id* VP. — post *propter* maior ras. in V. 13. *afferre* VS. 14. *ipse ille* W, *sibi ille* C, *ille sibi* ω. Halmii error, cum *sibi* in V deesse tradit, Kayserum induxit ut *sibi* excerperet ex verborum serie. 15. *quod ... quod*] *quam ... qui* S^1, *qu*/// (s. l. *am*) ... *qui* V^1. 16. *appr.* S. 17. *in* s. l. V. 18. *inducimus* VS. 19. *concedere* VS^1, *concedi* S^2PM. — *ex quod* V. 21. *videndis* P^1, *videndum* V (sed *u* in parva ras.), cf. ad v. 22. 22. *his* C. — *induxeris* (*mu* s. l. add. et *is* in ras. ut *induxeras* primitus fuisse scriptum videatur) S. Si per V liceret ego proponerem: *vide sis — induxeris*.

nam aliquid ante concessum nobis esse nihil proderit, si ei dissimile erit id, cuius causa illud concedi primum voluerimus; deinde ne intellegatur, quo spectent illae primae inductiones et ad quem sint exitum perventurae. 54. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur, recte adsenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo aut male respondendo longius rogationem procedere non sinit; qui ratione rogationis inprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet aut concedatur aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda similitudo est earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, elicienda responsio est aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripertitum: prima pars ex similitudine constat una pluribusve, altera ex eo, quod concedi volumus, cuius causa similitudines adhibitae sunt, tertia ex conclusione, quae aut confirmat concessionem aut quid ex ea conficiatur ostendit. XXXIII. 55. Sed quia non satis alicui videbitur dilucide demonstratum, nisi quid ex civili causarum genere exempli subiecerimus, videtur eiusmodi quoque utendum exemplo, non quo praeceptio differat aut aliter hoc in sermone atque in dicendo sit utendum, sed ut eorum voluntati satisfiat, qui, quod aliquo in loco viderunt, alio in loco nisi monstratum est nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa, quae apud Graecos est pervagata,

2. *con(cedi* s. l. add.) V. 3. *ne intellegatur* Lambin, *non* (*n̄*) *intellegat* VP¹, *non intellegant* S (*n* del.), *non intellegis quicum agimus* P², cf. Victor. 241, 25: *tertio, inquit, id agere debemus, ut nemo intellegat* etc. Iul. Vict. 408, 36: [*deinde operam*] *demus oportet non intellegi* etc. Fortasse: *deinde videndum est ne intellegatur.* 5. *ass.* VS. 6. *concedebam* corr. in *concedendam* V. 7. *logius* (*n* s. l. add.) V. 8. *sinet* Iul. Vict. 409, 4. — *qui* W, *qua* VP¹S¹, *quare* P²S²ω, *quapropter* Iul. Vict., *si autem nesciat* etc. M. 9. *ad extremum* Iul. Vict. 10. *si autem neg.* S². 12. *utendum est* S²P. 13. *elienda* V¹, *aut elicienda* S²ωM Iul. Vict. 15. *con* V¹, *concludi* V², *concludere* etiam Iul. Vict. 16. *Prima ... conficiatur ostendit* (19) M. 21. *nisi quod* V¹. — *subiceremus* V¹, *subicerimus* V². 24. *sati(s* s. l. add.) V. — *qui quod*] *quic quid* V. 25. *videret* P¹, *viderint* ω. — *monstratum est* VP, *monstratum* Sω. 26. *grecos* VS. — *pervulgata* S², cf. Verr. II 85, de Inv. II 113, Madvig de Fin. II 15.

quam dixit Epaminondas, Thebanorum inperator, quod ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit et, cum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset, Lacedaemonios funditus vicit, poterit accusator argumentatione uti per inductionem, cum scriptum legis contra sententiam defendet, ad hunc modum: 56. Si, iudices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem et addat hanc exceptionem: EXTRA QVAM SI QVIS REI PVBLICAE CAVSA EXERCITVM NON TRADIDERIT, patiemini? Non opinor. Quid si vosmet ipsi, quod a vestra religione et a sapientia vestra remotissimum est, istius honoris causa hanc eandem exceptionem iniussu populi ad legem adscribi iubeatis, populus Thebanus id patieturne fieri? Profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem nefas est, id sequi, quasi adscriptum sit, rectum vobis videatur? Novi vestram intelligentiam: non potest ita videri, iudices. Quodsi litteris corrigi neque ab illo neque a vobis scriptoris voluntas potest, videte, ne multo indignius sit id re et iudicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest. Ac de inductione quidem satis in praesentia dictum videtur. 57. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus.

XXXIV. Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, cum idem in usu dicendi sequerentur, paululum in praecipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque eius partes esse dixerunt, partim non plus quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam et brevis est et non eius-

---

1. *quam dixit* W, *cum* CM, *quod* ω. Cf. Nipperdey Opusc. 167. — *epaminudas* (*n* s. l. add.) VP. — *quod* expunctum in S, om. ω. 2. *tradiderit* K cum supra scripserit: *cum Ep. Theb. inp. accusatur* eis quae sequuntur: *et cum ... vicit* deletis, cui coniecturae Victor. nequaquam favet. 4. *ac* (altera *c* s. l. add.) *usator* V. 5. *defendet* K, *defendat* C. 6. *epaminundas* V. — *aut* corr. in *ait* V. 7. *asscr.* S. 8. *tradidit* P^1. 9. *quod si* $P^2S^2\omega$. 10. *a sap. vestra* W, *a sap.* VS, *sap.* P. 16. *ne* om. P^1. 21. *ratiocinatio ... putaverunt* (24) M. 23. *confirmat* V. — *de* s. l. V. — *que* corr. in *qui* V (*quod* in mrg.). *potuerunt* VS^1 (mrg. V *putaverunt*). 24. *in usu* VS, *usu* P. — *paulolum* V^1. 27. *controversia* V. 28. *et non*] *in* V. — *non* s. l. S.

modi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, et locus hic nobis in dicendo minime neglegendus videtur.

58. Qui putant in quinque tribui partes oportere, aiunt primum convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum: Melius adcurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur. Hanc primam partem numerant; eam deinceps rationibus variis et quam copiosissimis verbis adprobari putant oportere, hoc modo: Domus ea, quae ratione regitur, omnibus est instructior rebus et apparatior quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur quam is, qui stultitia et temeritate alicuius administratur. Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur. 59. Cum propositio est hoc pacto adprobata et duae partes transierunt ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere adsumere, hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur. Huius adsumptionis quarto in loco aliam porro inducunt adprobationem, hoc modo: Nam et signorum ortus et obitus definitum quendam ordinem servant et annuae commutationes non modo quadam ex necessitudine semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium adcommodate, et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulli nostrum unquam mutatae quicquam nocuerunt; [quae signo sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi

---

1. *alteris* S^2. — *porsus* V^1, unde conicias *prosus*, sed cf. Ritschl Opusc. II 261 sq. — *nobis*] *omnis?* 2. *dicendo*] *praecipiendo?* 3. *distribui* $S^2\omega$. 4. *adunc* V^1. 5. *melius ... administrantur* Quint. V 14, 7. — *accur.* VS. — *reguntur* $\mathfrak{M}$ Quintil. — *quam quae*] *quiq;* V^1. 6. *amministr.* VS. 15. *est* Halm, *sit* C. — *transierunt* V^1P^1, *transierint* V corr. $P^2S\omega$. 16. *tercia* S. 17. *ass.* VS. — *nihil ... adprobationem* (19) Quint. l. l. § 8. 18. *melius consilio* $\mathfrak{M}$. — *ass.* VS. 19. *aliam*] *iam* Quint. libri. 20. *nam et*] *et* om. P. 21. *necessitate* (*ne* s. l.) S. 23. *adcommodate* W, *adcommodatae* V, *sunt accommodatae* PS. 24. *nulli nostrum* W, *nulli nr̃e* (= *nostrae*) V^1, *nulli naturae* V^2S^1, *nulla in re* $S^2P\omega$. Linsmayer, quem sequitur K, coniecit: *nec ulla in re umquam mutatae sunt nec quicquam nocuerunt.* Necdum hic locus persanatus est, cf. Iul. Vict. 409. — *quae ... administrari* (p. 49, 1) emblema esse vidit Linsmayer, non enim pertinent haec ad adsumptionis adprobationem, sed ad conplexionem. Et hanc coniecturam adiuvat Alb. 541, 10.

administrari]. Quinto inducunt loco conplexionem eam, quae aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Consilio igitur mundus administratur; aut unum in locum cum conduxit breviter propositionem et adsumptionem, adiungit, quid ex his conficiatur, ad hunc modum: Quodsi melius geruntur ea, quae consilio quam quae sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius administratur quam omnis mundus, consilio igitur mundus administratur. Quinquepertitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem. XXXV. 60. Qui autem tripertitam ponunt esse, ei non aliter tractari putant oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione neque ab adsumptione adprobationes earum separari oportere, neque propositionem absolutam neque adsumptionem sibi perfectam videri, quae adprobatione confirmata non sit. Quare quas illi duas partes numerent, propositionem et adprobationem, sibi unam partem videri, propositionem; quae si adprobata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quae ab illis adsumptio et adsumptionis adprobatio dicatur, eandem sibi adsumptionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata aliis tripertita, aliis quinquepertita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat quam ad rationem praeceptionis. 61. Nobis autem commodior illa partitio videtur esse, quae in quinque partes tributa est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime secuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratici tractarunt, sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele

---

1. *quinto inducunt ... mundus administratur* Quint. V 14, 9. — *eam* om. Quint. 2. *fert* Quintiliani AB. 3. *hic mundus* S^2. 4. *conduxit* Quint., *conduxerit* C, *colligerit* V^2. — *ex propositione adsumptione* V, *ex propositione et assumptionem* P^1, atque hinc coniecit Eckstein: *et propositionem et assumptionem.* — *quod* S^2. 5. *eis* W, *is* V^1, *his* V^2PS. — *milius* V^1. 6. *quae*] *que* V^1 (bis). 8. *quinque pert.... putant esse* M. 9. Inter *argu* et *mentationem* maior ras. in V. 10. *ponunt esse* W, *putant esse* C, *ducunt esse* Δ^1, *esse dicunt* Mω. — *hi* C. 11. *neque enim negant* P^1. 12. *adprobationes ... neque adsumptionem* om. S^1, in mrg. add. S^2. — *eorum* VSP. 14. *profectam* VP. — *quae a probatione* V. 16. *propositionem quae si* (*nemquae* del. et *q*, suprascr.) S. 18. *dicatur* (*a* corr.) V. — *eadem* VP. 23. *videatur* VP^1S^1. 24. *theofrasto* VS. 27. *expolitur* VPS^2,

atque a Peripateticis frequentatum, deinde a rhetoribus eis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere secuti putemur; et breviter dicendum, ne in huiusmodi rebus diutius, quam ratio praecipiendi postulat, commoremur.

XXXVI. 62. Si quadam in argumentatione satis est uti propositione et non oportet adiungere adprobationem propositioni, quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adiuncta sit adprobatio, separatum est quiddam a propositione adprobatio. Quod enim et adiungi et separari ab aliquo potest, id non potest idem esse, quod est id, ad quod adiungitur et a quo separatur; est autem quaedam argumentatio, in qua propositio non indiget adprobationis, et quaedam, in qua nihil valet sine adprobatione, ut ostendemus. Separata igitur est a propositione adprobatio. Ostendetur autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: Quae propositio in se quiddam continet perspicuum et quod constare inter omnes necesse est, hanc velle adprobare et firmare nihil attinet. 63. Ea est huiusmodi: Si, quo die Romae ista caedes facta est, ego Athenis eo die fui, in caede interesse non potui. Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet adprobari. Quare adsumi statim oportet, hoc modo: Fui autem Athenis eo die. Hoc si non constat, indiget adprobationis; qua inducta conplexio consequetur. Est igitur quaedam propositio, quae non

---

sumitur S^1. 1. *peripathecis* V^1, *peripatheticis* V^2S, add. C: *et theofrasto*, del. W. Schuetz *et Theophr.* ante *a Perip.* ponendum, Linsmayer *atque a Perip.* delendum censet. — *his* C. 6. *uti in* P. — 7. *propositioni* S^2P, *propositionis* VS^1, cf. p. 51, 9. 8. *autem* s. l. add. V^2. — *est* C, *sit* ω. 9. *separatum* P, *separata* (altera *a* corr.) VS. — *quiddam*] *quidem* VS. — *adprobatio*] Hic deficit VS, quorum in illo additum est: *hic multa deesse putantur*, in hoc: *videtur deesse hic aliquid.* Pergit V § 76: *uti tum ratiotinatione*, § 76: *deinde in ipsa* etc. Cf. ad v. 18. 13. *adprobationis et* K, *approbatione sed* PAT. 14. *ut ostendimus* AT, *ut ostendemus* v. 13 post *adprobationis* conlocavit K. — *igitur est* Px, *est igitur* AT. 16. *continet in se quiddam* AT. 17. *stare* xPAT, rec. K. — *inter per omnes* AT. — Malim: *necesse sit.* 18. *huius modi*] Hic deficit P, pergit § 77. Quae omissa sunt, addita sunt ad calcem libri II a manu paulo recentiore (= p), sed ibi quoque desunt verba extrema *oratores et mediocres* (§ 75) usque ad finem § 76. — *Romae ista caedes* p, *ista caedes Romae* xAT. 19. *in caede eo die* x. 20. *quia* xAT, *quoniam* p. 21. *Athenis* om. xp^1AT. 22. *approbatione* A. 23. *subsequetur* A.

indiget adprobatione. Nam esse quidem quandam, quae indigeat, quid attinet ostendere, quod cuivis facile perspicuum est? Quodsi ita est, ex hoc et ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatum esse quiddam a propositione adprobationem. Sin autem ita est, falsum est non esse plus quam tripertitam argumentationem. 64. Simili modo liquet alteram quoque adprobationem separatam esse ab adsumptione. Si quadam in argumentatione satis est uti adsumptione et non oportet adiungere adprobationem adsumptioni, quadam autem in argumentatione infirma est adsumptio, nisi adiuncta sit adprobatio, separatum quiddam extra adsumptionem est adprobatio. Est autem argumentatio quaedam, in qua adsumptio non indiget adprobationis, quaedam autem, in qua nihil valet sine adprobatione, ut ostendemus. Separata igitur est ab adsumptione adprobatio. Ostendemus autem, quod polliciti sumus, hoc modo: 65. Quae perspicuam omnibus veritatem continet adsumptio, nihil indiget adprobationis. Ea est huiusmodi: Si oportet velle sapere, dare operam philosophiae convenit. Hic propositio indiget adprobationis, non enim perspicua est neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur; adsumptio perspicua est; est enim haec: Oportet autem velle sapere. Hoc quia ipsum ex se perspicitur et verum esse intellegitur, nihil attinet adprobari. Quare statim concludenda est argumentatio. Est ergo adsumptio quaedam, quae adprobationis non indiget; nam quandam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab adsumptione adprobatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripertitam argumentationem. XXXVII. 66. Atque ex his illud iam perspicuum est, esse quandam argumentationem, in qua neque propositio neque adsumptio indigeat adprobationis, huiusmodi, ut certum quiddam et breve exempli causa ponamus: Si summo opere sapientia

---

1. *indigeat* xAT. — *quandam* delendum? 3. *proposueram* xAT. 4. *separatam* xT¹. — *quiddam*] *quidem* xAT. — *si autem* ω. 6. *licet* xpAT. 7. *quadam in argumentatione* om. AT. 13. *ostendimus* xA. K hic ut p. 50, 14 conlocavit. 14. *a propositione* xAT. — *ostendimus* AT. 15. *quae*] Pro eo K: *est argumentatio, in qua, quia,* cf. v. 28. Ego nescio an satis sit deinceps sic corrigi: *argumentatio est huiusmodi.* 17. *hic* K, *haec* C. 21. *est* alterum om. pAT, add. ω. 22. *ex re* pAT. 24. *quaedam assumptio* AT. 25. *ab* om. x. 27. *iis* p. 30. *summopere,* paulo post *summo opere* A.

petenda est, summo opere stultitia vitanda est: summo autem opere sapientia petenda est: summo igitur opere stultitia vitanda est. Hic et propositio et adsumptio perspicua est; quare neutra quoque indiget adprobatione. Ex hisce omnibus illud perspicuum est, adprobationem tum adiungi, tum non adiungi. Ex quo cognoscitur neque in propositione neque in adsumptione contineri adprobationem, sed utramque suo loco positam vim suam tamquam certam et propriam obtinere. Quodsi ita est, commode partiti sunt illi, qui in quinque partes tribuerunt argumentationem.

67. Quinque igitur partes sunt eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur: Propositio, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis; propositionis adprobatio, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus adfirmatum probabilius et apertius fit; adsumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, adsumitur; adsumptionis adprobatio, per quam id, quod adsumptum est, rationibus firmatur; conplexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus; secunda est quadripertita, tertia tripertita, dein bipertita, quod in controversia est. De una quoque parte potest alicui videri posse consistere. XXXVIII. 68. Eorum igitur, quae constant, exempla ponemus, horum, quae dubia sunt, rationes adferemus. Quinquepertita argumentatio est huiusmodi: Omnes leges, iudices, ad commodum rei publicae referre oportet et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in litteris est, interpretari. Ea enim virtute et sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus

---

1. *est vitanda* T. — *summo autem ... vitanda est* add. mrg. pT. — *summopere autem* mrg. p. 2. *summopere igitur* mrg. p. 3. *et prop. et ass.* p, et (omisso priore *et*) A, *et assumptio et propositio* ω. 5. *adprobationem*] *ad propositionem* AT, *ad propositiones* p. — *non adiungi approbationes* pAT. 6. *continere* T^1. 9. *tribuerunt* xpAT, *distr.* ω. 10. *quinque ... adferemus* (v. 23) incl. K. — *igitur partis* (*-es* xT) *sunt* pxT corr., *igitur sunt partes* A, *sunt* om. M. 11. *is* om. A (*is locus* x, *locus is locus* T^1). 12. *ratiocinationis emanet* A. 13. *propositionis* om. C. 14. *fit*] *sit* P. 15. *expositione* xp^1. 19. *partis* T. — *iis* p. — *secundaria* AT. 20. *deinde* AT. — *quod in contr. est* om. T^1. 21. *quaque* A. 22. *consistant* xAT. 24. *omnes ... referre oportet* M. — *omnes leges omnes* A. 25. *refferri* Δ, cf. § 73 et 70. 26. *ea enim ... nostri fuerunt* M.

scribendis nihil sibi aliud nisi salutem atque utilitatem rei publicae proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant; et, si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intellegebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed rei publicae, quod ex legibus omnes rem publicam optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari convenit: hoc est, quoniam rei publicae servimus, ex rei publicae commodo atque utilitate interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam eius causa est instituta, sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod rei publicae conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt conparatae. 69. Ergo in hoc quoque iudicio desinite litteras legis perscrutari et legem, ut aequum est, ex utilitate rei publicae considerate. Quid magis utile fuit Thebanis quam Lacedaemonios opprimi? Quid magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropaeo carius aut antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omisso scriptoris sententiam considerare debebat. At hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem nisi rei publicae causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset rei publicae salutis causa, id non ex rei publicae salute interpretari. Quodsi leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit, profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse et legibus non obtemperasse. XXXIX. 70. Quattuor autem partibus constat argumentatio, cum aut proponimus aut adsumimus sine adprobatione. Id facere oportet, cum aut propositio ex se intellegitur aut adsumptio perspicua est et nullius adprobationis indiget. Propositionis adprobatione praeterita quattuor ex par-

---

7. *hoc est... interpretemur* (9) cum Schuetzio del. K. 8. *servamus* p^1. 10. *expetet* p^1, *expectet* p^2. 13. *ergo... perscrutari* M. 14. *legis literas* AT, *litteris legis* K; *literas* in ras. habet x. — *perscrutari*] *interpretari* M. 15. *quid... opprimi* M. — *quid* CM, *quid enim* xω. 16. *quid* ATp^2, om. p^1, *cui rei* xω. 17. *quod hunc tanta gloria theb.* AT. 19. *aut* p^2x, *at* p^1, *atque* ω. — *scripta* p. — *legis videl.* A. — *omissa* p. 20. *at*] *ad* ATx. 25. *fuit* $p^1\Delta$ (§ 73). 26. *facto*] cf. § 73. 27. *optemperasse* x.

tibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, obtemperare legibus debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequemini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suae relinquere potuit quam quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Quodsi litterae non exstarent, magno opere eas requireremus, ut ex eis scriptoris voluntas cognosceretur; nec tamen Epaminondae permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istum patiamur, cum praesto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suae causae convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quodsi vos, iudices, legibus obtemperare debetis et id facere non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequimini, quin istum contra legem fecisse iudicatis? 71. Adsumptionis autem adprobatione praeterita quadripertita sic fiet argumentatio: Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit praeter nosmet ipsos, quem iure accusare possimus. Ac primo quidem decipi incommodum est, iterum stultum, tertio turpe. Karthaginienses autem persaepe iam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum pĕrfidia totiens deceptus sis. 72. Utraque adprobatione praeterita tripertita fit hoc pacto: Aut metuamus Karthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbem diruamus. At metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.

XL. Sunt autem, qui putant nonnumquam posse conplexione supersederi, cum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione; quod si fiat, bipertitam quoque fieri argumenta-

---

2. *iudicatis*] *dicant* p¹. — *obtemperare legibus debetis* om. p¹. 3. *id* om. p, non item x. 4. *sequemini* x, *sequimini* pAT, *sequamini* ω, cf. v. 14. 5. *suae vol.* AT. 6. *magnopere* pxT. 7. *iis* p, *his* ω. 8. *praetermitteremus* p¹. — *ne si*] *nisi* pATx. 14. *in lege sequimini* om. p, *in lege* om. AT. — *sequimini* x, *sequamini* ATω. — *quin* px, *quid dubitatis quin* ω, *quid causae est quin* Vulg. 15. *iudicatis* ex Vossiano I Halm, *iudicetis* C. 16. *qui ... debemus* M. 19. *primum* AT. 20. *est* om. A. 21. *summa ... deceptus sis* (23) M. 22. *fidem* A. 23. *sit* AT¹. 24. *pacto* px, *modo* AT. 25. *at* Voss. I, *ac* C. 27. *putent* x. — *complexionem* p¹T. 28. *se supersedere* T¹, *oportere supersederi* xp.

tionem, hoc modo: Si peperit, virgo non est: peperit autem. Hic satis esse proponere et adsumere; quid conficiatur quoniam perspicuum sit, conplexionis rem non indigere. Nobis autem videtur et omnis ratiocinatio concludenda esse et illud vitium, quod illis displicet, magno opere vitandum, ne, quod perspicuum sit, id in conplexionem inferamus. 73. Hoc autem fieri poterit, si conplexionum genera intellegentur. Nam aut ita conplectemur, ut in unum conducamus propositionem et adsumptionem, hoc modo: Quodsi leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit, profecto non potest eodem facto et saluti communi consuluisse et legibus non obtemperasse; aut ita, ut ex contrario conficiatur sententia, hoc modo: Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia totiens deceptus sis; aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum: Urbem igitur diruamus; aut, ut id, quod eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est. Id est huiusmodi: Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem. Conficitur hoc: Concubuit igitur cum viro. Hoc si nolis inferre et inferas id, quod sequitur: Fecit igitur incestum, et concluseris argumentationem et perspicuam fugeris conplexionem. 74. Quare in longis argumentationibus ex conductionibus aut ex contrario conplecti oportet, in brevibus id solum, quod conficitur, exponere, in eis, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt con-

---

2. *Hic satis esse ... non indigere* incl. K. — *satis esse*] hic add. ω *dicunt*, quod p post *adsumere*, T post *proponere* habet, om. x Leid. I, del. Schuetz. — *quid conf. quoniam perspicuum sit, conplexionis rem non indigere* x, *et quod conf. quon. persp. sit, compl. rem non indig.* AT, *quon. persp. sit quod conficitur ex ratiocinatione quod si fiat compl. r. n. indig.* mrg. p, cuius in contextu propter membr. perforatam quae fuerant inter *persp.* et *compl.* exciderunt. 4. *illud vitium* suspecta Ernestio et excerpta Schuetzio omittere videtur x. Ego sequar, nisi diffidam eius qui hunc librum contulit circumspectioni. 5. *quod illis displicet* incl. K. — *magnopere* pAT. 7. *intellegantur* A, non x. 9. *quodsi ... obtemperasse* (12) M. 10. *fuit* $p^1\Delta B^1$ Victorini. 11. *pacto* CM. 12. *contrario* om. p^1, *contraria* mrg. p. 13. *summa ... deceptus sis* M. — *eorum in* p. 15. *hoc modo* A. 20. *fugeris*] *feceris* C. 21. *quare ... argum.* M. — *quare ... consecutione uti* (23) incl. K. — *et ex cond.* p, *aut ex cond.* Lamb. K, cf. Iul. Vict. 410, 34. 23. *iis* p, *his* ATx. 24. *si qui ... argum.* (p. 56, 1) M. — *quaque* A.

stare argumentationem, poterunt dicere saepe satis esse hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum viro concubuit; nam hoc nullius neque adprobationis neque conplexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas significat, ideo quod et inventum aliquam in rem probabile aut necessarium argumentatio vocatur et eius inventi artificiosa expolitio. 75. Cum igitur proferent aliquid huiusmodi: Quoniam peperit, cum viro concubuit, inventum proferent, non expolitionem; nos autem de expolitionis partibus loquimur.

XLI. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit; atque hac distinctione alia quoque, quae videbuntur officere huic partitioni, propulsabimus, si qui aut adsumptionem aliquando tolli posse putent aut propositionem. Quae si quid habet probabile aut necessarium, quoquo modo commoveat auditorem necesse est. Quod si solum spectaretur ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod esset excogitatum, referret, nequaquam tantum inter summos oratores et mediocres interesse existimaretur. 76. Variare autem orationem magno opere oportebit; nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit, hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione; deinde in ipsa argumentatione non semper a propositione incipere nec semper quinque partibus abuti neque eadem partes ratione expolire; sed tum ab adsumptione incipere [licet], tum ab adprobatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere conplexionis uti. Id ut perspiciatur, scribamus oportet aut in

---

3. *indigere videtur* AT. 4. *sed*] *et* T², *sed et* A. — *nam et* pAT (*et* om. x). 5. *una* A. 6. *in re aliqua* A. 7. *cum* AT, *quom* p¹, *quoniam* p², *quando* xω. — *proferunt* p. 11. *ergo* A. 13. *qui* px, *quis* AT. — *putent* x, *putet* pAT. 15. *solum inventum* ωK. 17. *oratores* om. ATx. 18. *variare ... oportebit* M. 20. *mater est sacietatis* AT. Iul. Vict. 413. 22. *uti*] hoc verbo pergit V. 23. *deinde*] pergit S. — *argumentione* (*ta* s. l. add.) V. 24. *partis ratione* Linsmayer, *partitione* VS, *ratione partes* x, *ratione partitiones* Iul. Vict. ω. 25. *tum* (prius) s. l. S. — *ass.* VS. — *licet ... uti* (v. 27) om. VS, add. p. 57, 2 post *periclitari* VS. 26. *ab* om. xVS. — *tum utraque* incl. K. — *tum hoc* rec. m. in V add. 27. *perspiciamus* (*mus* in ras.) S. — *scribamus oportet* W, *scribamus* V, om. S, *aut ipsi scribamus* ω (*ex* M). — *aut in*] *in* V, *videamus* (in ras.) *in* S.

quolibet exemplo de eis, quae proposita sunt, quam facile factu sit, periclitari licet.

77. Ac de partibus quidem argumentationis satis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intellegi, nos probe tenere aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et obscuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorrere ab usu oratoris visa sunt. Quae pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius quam ceteros attendisse non adfirmamus, perquisitius et diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut statuimus, proficisci ordine ad reliqua pergemus.

XLII. 78. Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut elevatur. Haec fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, eisdem potest ex locis infirmari. Quare inventionem argumentorum et expolitionem ex illis, quae ante praecepta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut aliquae praeceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt.

79. Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex eis, quae sumpta sunt, non conceditur aliquid unum plurave, aut his concessis conplexio confici negatur, aut si genus ipsum argumen-

---

1. *his* C. — *proposita sunt*] add. ω: *hoc idem exerceamus ut,* om. VS. — *factu* om. S^1. 2. *periclitari licet* W, *periclitari* VS, om. ω. Cf. p. 56, 25. 3. *Ac de*] pergit P. 7. *oratoris* VS, *oratorio* Pω. 9. *adt.* V. — *aff.* VS. 10. *statuimus* C, *instituimus* ω, retinuit K. 12. *reprehensio ... elevatur* M. 13. *diluitur aut elevatur* M, *dil. aut infirmatur aut elevatur* V^1P^1 (*alleviatur* V^2S, *adlevatur* Δ, *levigatur* P^2), cf. v. 20 et Vict. 248, 4: *aut omnino tollit, quod adversarius dixit, aut infirmat ac levius reddit.* 15. *aliqa* (*u* s. l. add.) V, *alia* (*qu* s. l. add.) S. — *hisdem* C. — *infirmari*] Add. C: *nihil enim considerandum est in his omnibus inventionibus nisi id quod personis aut negotiis adtributum* (s. l. V) *est,* del. W ut additamentum ex Vict. 248, 6 consarcinatum. 16. *inventionem argumentorum et expolitionem* W, *inv. et argumentationum expol.* PV^2S^2, *inv. et argumentationem expolitionem* V^1S^1, *inv. et expolitionem* K, fort. rectius, sed cf. Vict. 18. *ut aliquae* W, *ut quae* VS^1, *ut quaedam* Pω, cf. Lachmann ad Lucr. IV 638. 19. *qui* V^2, *que* V^1. 22. *his* C. 23. *aliquid* VS, *aliquod* Pω. 24. *conplexio* VS, *conpl. ex iis* (*his*) Pω. — *confici* (*ci* m. 2 in ras.) V.

tationis vitiosum ostenditur, aut si contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur.

Ex eis, quae sumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, quod credibile dicunt, negatur esse eiusmodi, aut quod conparabile putant, dissimile ostenditur, aut iudicatum aliam in partem traducitur, aut omnino iudicium inprobatur, aut, quod signum esse adversarii dixerunt, id eiusmodi negatur esse, aut si conprehensio aut una aut utraque ex parte reprehenditur, aut enumeratio falsa ostenditur, aut simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum sive pro probabili sive pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus. XLIII. 80. Id quod pro credibili sumptum erit, infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo: Nemo est, quin pecuniam quam sapientiam malit; aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: Quis est, qui non officii cupidior quam pecuniae sit? Erit omnino incredibile aut si aliqui, quem constet esse avarum, dicat alicuius mediocris officii causa se maximam pecuniam neglexisse, aut si, quod in quibusdam rebus aut hominibus accidit, id omnibus dicitur usu venire, hoc pacto: Qui pauperes sunt, eis antiquior officio pecunia est. Qui locus desertus est, in eo caedem factam esse oportet; in loco celebri homo occidi qui potuit? aut si id, quod raro fit, fieri omnino negatur; ut Curio pro Fulvio: Nemo potest uno aspectu neque praeteriens in amorem incidere.

---

2. *alia aeque*] *aliaque* S^1, *alia quoque* V. 3. *his* VSP^2, *is* P^1. 7. *eiusdem modi* (*dem* del.) S. — *conprehensio* C, *complexio* ω, cf. § 83. 8. *utraque ex* ω, *utraque* P^1, *ex utraque* VSP^2, cf. Seyff. Lael. 327, 408 ed. II. — *aut si enum.* $S^2ω$. 9. *aut* V^1, *aut si* PSV^2. 10. *argumentadum* (*n* s. l. add.) S. 11. *sive probabili* V, *sive probabile* S^1. — *pro necessitate* VS. 12. *id* C, hoc loco om. (etiam M) et add. ante *infirmabitur* ω. — *credibili* (om. *pro*) P^1VS^1 (hic *-bile*), habet *pro* M. 13. *si aut*] *sicut* P^1, *si quod* (*quod* del.) S, *si quod* /// (*-od* alia manu est idemque in *id* corr.) V. Fortasse: *si quidem perspicue* etc. — *nemo ... malit* M. 14. *quin* $ΔS^2$, *qui in* Δ (altero loco), *qui* VPS^1, *qui non* ω. — *quam*] *qui* $V^1P^1S^1$. — *quoque*] *quod* VS. 15. *quis ... pecuniae sit* M. — *qui non*] *qui in* Δ, cf. v. 14. 16. *quam*] *qui* V^1S^1. — *erit omnino* W, cf. Vict. 249, 1, *si erit omnino* VS^1, *erit autem omnino* P^1, *aut erit omn.* P^2, *aut si erit omnino* S^2. — *aut* W, *ut* C. — *aliqui, quem* W, *aliquem* VP^1S, *aliquis quem* P^2, *quisquem* ω. 18. *quibus*(*dam* s. l. add.) V. 19. *dicatur* $S^2ω$. 20. *qui pauperes ... qui potuit* (22) M. — *quia* V. — *his* C. 22. *qui occidi* S. 23. *curius* S. — *fluvio* P.

81. Quod autem pro signo sumetur, id ex eisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in signo primum verum esse ostendi oportet; deinde esse eius rei signum proprium, qua de agitur, ut cruorem caedis; deinde factum esse, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit; postremo scisse eum, de quo quaeritur, eius rei legem et consuetudinem. Nam haec res sunt signo adtributae; quas diligentius aperiemus, cum separatim de ipsa coniecturali constitutione dicemus. Ergo horum unum quidque in reprehensione aut non esse signo aut parum magno esse aut a se potius quam ab adversariis stare aut omnino falso dici aut in aliam quoque suspitionem duci posse demonstrabitur.

XLIV. 82. Cum autem pro conparabili aliquid inducetur, quoniam id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conveniet simile id negare esse, quod conferetur, ei, quicum conferetur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; ac si, quo in numero illud, quod per similitudinem adferetur, et quo in loco hoc, cuius causa adferetur, haberi conveniat, ostendetur. Deinde, quid res cum re differat, demonstrabimus; ex quo docebimus aliud de eo, quod conparabitur, et de eo, quicum conparabitur, existimare oportere. Huius facultatis maxime indigebimus, cum ea ipsa argumentatio, quae per inductionem tractatur, erit reprehendenda.

Si iudicatum aliquid inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur: laude eorum, qui iudicarunt, similitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum est, et com-

---

1. *quod autem ... infirmabitur* M. — *isdem ex* MM. — *isdem* P, *hisdem* VS. 2. *verum*] *utrum* V¹. 3. *qua de re* S²ω. 6. *quo* CM, *qua* ω. — *haec* W, *hae*// S, *hae* P, *ee* V. 7. *adtr.* VS. 9. *quidque* K cum Lamb., *quodque* C. 10. *magno est* V. — *quam*] *qui* V¹S¹. 11. *suspicionem* S. 14. *reprehendo* (*den* s. l. add.) V. 15. *confer*////(*tur* s. l. add.) V, *confertur* SP¹. — *quicumfertur* (*con* et *e* s. l. add.) S. 16. *diver*(*sum* s. l. add.) V. 18. *ac si ... adfertur* (sic) M. — *ac si quo*] *ac que* V¹, *ac sic quo* V²S. — *adferetur ... cuius causa* om. VPS, add. mrg. P. 19. *quoius* mrg. P¹. — *affertur* corr. in *afferetur* S. — *ostenditur* VS. 20. *demonstravimus* P¹. — *ex quo*] *ex* corr. V, *et* (*x* s. l.) S. 22. *existimare* VP¹S¹, *existimari* P²S². 23. *indigebimus* cum Lamb. K, *indigemus* C. 24. *trac*//(*tatur* extra l. in mrg. add.) V. 25. *sin* PM. — *aliquid* MS, *aliquod* PV.

memorando non modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus adprobatum, et demonstrando difficilius et maius fuisse ad iudicandum, quod adferatur, quam id, quod instet: ex contrariis locis, si res aut vera aut veri similis permittet, infirmari oportebit. Atque erit observandum diligenter, ne nihil ad id, quo de agatur, pertineat id, quod iudicatum sit. Id etiam videndum est, ne ea res proferatur, in qua sit offensum, ut de ipso, qui iudicarit, iudicium fieri videatur. 83. Oportet autem animadvertere, ne, cum aliter sint multa iudicata, solitarium aliquid aut rarum adferatur. Nam ex his rebus auctoritas iudicati maxime potest infirmari.

Atque ea quidem, quae quasi probabilia sumentur, ad hunc modum temptari oportebit.

XLV. Quae vero sicuti necessaria dicentur, ea si forte imitabuntur modo necessariam argumentationem neque erunt eiusmodi, sic reprehendentur: primum conprehensio, quae, utrum concesseris, debet tollere, si vera est, numquam reprehendetur; sin falsa, duobus modis, aut conversione aut alterius partis infirmatione hoc modo:

Nam si veretur, quid eum accuses, qui est probus?
Sin inverecundum animi ingenium possidet,
Quid autem accuses, qui id parvi auditum aestimet?

---

3. *ad iudicandum* W, *ad iudicatum* VS, *id iudicatum* P. — *quod ad iudicandum afferatur* C. — *quam*] *que* V^1. — *ex* om. $S^1\mathfrak{M}$. 4. *similes* V^1. — *permittat* $S^2\omega$, *permittit* $\mathfrak{M}$. 6. *quo de*] *quod* VS, *quo* P^1. — *id etiam* W, *et* C. — *videndum est* VS, *videndum* P(?). K totum illud *et videndum est* inclusit. 7. *ne* VS^1, *num* S^2P. 8. *iudicaret* VS^1. — *oportet autem animadvertere* incl. K. 9. *ne* om. P. — *aliquid* VS, *aliquod* (?) P. 10. *rarum* W, *rarum iudicatum* C (in S *iudicatum* deletum est punctis). — *nam ex his* W, *nam si his* V^1S^1, *nam sic his* V^2S^2, *nam his* (?) $P\omega$. — *iudicati* om. P^1. 14. *quae vero ... dicentur* M. — *vero*] *ve* V^1. — *sicut* M. — *ducentur* S^2, *inducentur* ω (M hab. *dicentur*). 16. *conprehensio* C, *complexio* ω, cf. p. 58, 7. 17. *numqui* V^1S^1. 19. *hoc modo* Linsmayer, *conversione hoc modo* C Iul. Vict. 414, 12. Fragmentum incertum est apud Ribbeckium I 261, cf. Cornif. II 42. Iul. Vict. 414. 20. *eum*] *enim* VP^1. — *accusses* P, *acuses* (alt. *c* s. l. add.) V. 21. *si inv.* C, cf. p. 61, 4. 22. *quid autem* Cornif. (ubi V: *quid autem eum*), *quid eum* C. — *qui id*] *quid* P^1V^1, *qui* V^2S. — *auditum* T et Cornificii V, *auditu* C. — *aestimet* C, *existimet* ω, mrg. V: *vel estimetur*.

Hic, sive vereri dixeris sive non vereri, concedendum hoc putat, ut neges esse accusandum. Quod conversione sic reprehenditur: Immo vero accusandus est. Nam si veretur, accuses; non enim parvi auditum aestimabit. Sin inverecundum animi ingenium possidet, tamen accuses; non enim probus est. 84. Alterius autem partis infirmatione hoc modo reprehenditur: Verum si veretur, accusatione tua correctus ab errato recedet.

Enumeratio vitiosa intellegitur, si aut praeteritum quiddam dicimus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid adnumeratum, quod aut contra dici possit aut causa non sit, quare non honeste possimus concedere. Praeteritur quiddam in huiusmodi enumerationibus: Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet aut hereditate possideas aut munere acceperis aut domi tibi natus sit aut, si horum nihil est, subripueris necesse est: sed neque emisti neque hereditate venit neque donatus est neque domi natus est; necesse est ergo subripueris. 85. Hoc commode reprehendetur, si dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius praedae sectio non venierit; quo inlato infirmatur enumeratio. XLVI. Altero autem modo reprehendetur, si aut contra aliquid dicetur: hoc est, si exempli causa, ut in eodem versemur, poterit ostendi hereditate venisse, aut si illud extremum non erit turpe concedere, ut si qui, cum dixerit adversarius: Aut insidias facere voluisti aut amico morem gessisti aut cupiditate elatus es, amico se morem gessisse fateatur.

86. Simplex autem conclusio reprehenditur, si hoc, quod

---

1. *si vereri* V^1P^1. 2. *cumversione* P, *cum conversione* VS. — *reprehenditur* VS^1, *reprehendetur* S^2P. 4. *auditum* AT, *auditu* C. — *estimabunt* P^1V, *estimat* S. — *sin*] *si* C. 5. *tamen* ω, *tum* C. 6. *reprehenditur* V^1, *reprehendetur* V^2PS. 7. *accusatio*(*ne* add. m. 2) S. 8. *enumeratio autem* M. — *intellegetur* M, *intelligitur* S. 9. *dicimus* C, *dicemus* ω. — *velimus*] *venimus* V^1. — *infirmare* VSP^1. 11. *possu* (*u* m. 2) *mus* S. — *huiusmodi* W, *eiusmodi* C. 13. *possedeas* V^1. — *natus*] *nutritus* VS. 14. *horum* ω, *eorum* C. — *subrip.* (*sub* in ras.) S. — *sed*] *si* VS. 16. *hoc modo reprehenditur* C. 18. *secto* S^1. — *venerit* C. — *quod inlato* V^1, *quo illato* PS. — *infirmatur* C, *infirmetur* ω. — *enumeratio*] Add. C: *quom* (*quoniam*) *id sit inductum, quod praeteritum sit in enumeratione* (*num.* V), del. W. 19. *reprehenditur* VPS^1. 22. *qui* om. P^1. — *dixerit* VPS^1, *dixerint* S^2ω. — *adversarius* W, *adversari* VS^1, *adversario* P^1, *adversarii* S^2P^2ω. — *aut ins.... elatus es* M. 23. *moram* V (bis). 25. *reprehenditur* CM, *reprehendetur* Orelli. — *hoc* VSP^2, *hic* P^1, *id* ω.

sequitur, non videtur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere. Nam hoc quidem: Si spiritum ducit, vivit: Si dies est, lucet, eiusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohaerere videatur. Hoc autem: Si mater est, diligit: Si aliquando peccavit, numquam corrigetur, sic conveniet reprehendi, ut demonstretur non necessario cum priore posterius cohaerere. Hoc genus et cetera necessaria et omnino omnis argumentatio et eius reprehensio maiorem quandam vim continet et latius patet, quam hic exponitur; sed eius artificii cognitio eiusmodi est, ut non ad huius artis partem aliquam adiungi possit, sed ipsa separatim longi temporis et magnae atque arduae cognitionis indigeat. Quare illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur; nunc his praeceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit.

Cum igitur ex eis, quae sumentur, aliquid non concedetur, sic infirmabitur. XLVII. 87. Cum autem, his concessis, conplexio ex eis non conficietur, haec erunt consideranda: num aliud conficiatur aliud dicatur, hoc modo: Si, cum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contra eum quis velit hac uti argumentatione: Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses; non es autem ab eis visus; non es igitur ad exercitum profectus. Hic cum concesseris propositionem et adsumptionem, conplexio est infirmanda. Aliud enim, quam cogebatur, inlatum est. 88. Ac nunc quidem, quo facilius res cognosceretur, perspicuo et grandi vitio praeditum posuimus exemplum; sed saepe obscurius positum vitium pro vero probatur, cum aut parum memineris, quid concesseris, aut ambiguum aliquid pro certo concesseris. Ambiguum si concesseris ex ea parte, quam

---

1. *videtur* W, *videatur* C. — *ante sit* VSP¹. 5. *corrigetur* (*e* ex *i*?) V. 8. *maiorum* V. 10. *adiugi* (*n* s. l. add.) V. 11. *longo tempore* V. — *cogitationis* Gruter. 12. *nobis*, cf. Madvig Fin. I 11. 13. *perceptionibus* V¹. 15. *his* C. — *sumentur* CM, *sumuntur* ω. — *concedetur* M, *conceditur* C. 17. *eis* W, *his* C. — *conficietur* P²ω, *conficitur* VP¹S. — *num aliud ... hoc modo* om. S¹, add. in mrg. S rec. m. 19. *contraque eum* S². — *quis*] *que* S, *quem* V. 20. *si venisses ... profectus* (22) ℜ. 21. *eis* M (*iis*), *his* C. 22. *ass.* VS. 23. *quam cogebatur*] *conceditur aliud* PAT, supra versum P: *aliud enim illatum est quam cogebatur*. 24. *re* (*s* s. l. add.) V. — *cognoscitur* P. 27. *quod concesseris* VS.

ipse intellexeris, eamque partem adversarius ad aliam partem per conplexionem velit adcommodare, demonstrare oportebit non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille sumpserit, confici conplexionem, ad hunc modum: Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis; si pecuniam non habetis, pauperes estis: indigetis autem pecuniae; mercaturae enim, ni ita esset, operam non daretis: pauperes igitur estis. Hoc sic reprehenditur: Cum dicebas, si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis; hoc intellegebam, si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis, et idcirco concedebam; cum autem hoc sumebas, indigetis autem pecuniae, illud accipiebam: vultis autem pecuniae plus habere. Ex quibus concessionibus non conficitur hoc: pauperes igitur estis; conficeretur autem, si tibi primo quoque [hoc] concessissem, qui pecuniam maiorem vellet habere, eum pecuniam non habere. XLVIII. 89. Saepe autem oblitum putant, quid concesseris, et idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusionem infertur, hoc modo: Si ad illum hereditas veniebat, veri simile est ab illo necatum. Deinde hoc adprobant plurimis verbis. Post adsumunt: Ad illum autem hereditas veniebat. Deinde infertur: Ille igitur occidit; id quod ex eis, quae sumpserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, et quid sumatur et quid ex eis conficiatur.

Ipsum autem genus argumentationis vitiosum his de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit aut si non ad id, quod instituitur, adcommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitione, si controversum, si perspicuum, si non con-

---

1. *eamque* W$_1$ *eam* C, vulgo ex ω *si* ante *advers.* additur (P^2 add. *et si,* i. e. duas coniecturas *et* vel *si*). — *adversarus* (*i* s. l. add.) V. — *per* om. VS^1. 2. *acc.* VS. — *ex* s. l. S. 6. *pecunia* C, quod nescio an additamentum sit. — *mercatori* V. 7. *reprehendetur* (*rèprehendetis*) ω. 9. *aegestate* V. 13. *quoque hoc* C, *hoc quoque* ω, quod rec. K; mihi *hoc* delendum videtur propter obliquam quae sequitur orationem. 14. *qui*/////// V. 17. *conclusionem* VS, *conclusione* Pω. — *si ad...necatum* M. 19. *hereditas autem* S. 20. *his* C. 22. *et quod* S^2. — *sumant* VS (in hoc *n* del.). — *et* om. VS. — *eis* W, *his* C. 23. *ipsum ... his causis ostenditur* (sic!) M. 24. *in ipso* ωP^2, *ipso* P^1, *ipsum* VS. — *aut non* (*si* om.) VS. 25. *instituitur* S, *instituit* VPM. — *acc.* VS. — *ipso*/// (*o* corr.) V. 26. *totum* in ras. om. S. 27. *dif.* V^2, *diff.* S. — *definitio* Pω. — *si perspicuum ...*

cessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversarium. 90. Falsum est, in quo perspicue mendacium est, hoc modo: Non potest esse sapiens, qui pecuniam neglegit. Socrates autem pecuniam neglegebat. Non igitur sapiens erat. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis quam a nobis facit, hoc modo: Idcirco, iudices, quia veram causam habebam, brevi peroravi. Vulgare est, quod ad aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, ut hoc: Si causam veram non haberet, vobis se, iudices, non commisisset. Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem venisset, non commisisset: aut perspicue turpem rem levi tegere vult defensione, hoc modo:

Cum te expetebant omnes florentissimo
Regno, reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo sola ut restituam paro.

XLIX. 91. Remotum est, quod ultra quam satis est, repetitur, huiusmodi: Quodsi non P. Scipio Corneliam filiam Ti. Graccho conlocasset atque ex ea duos unus Gracchus procreasset, tantae seditiones natae non essent; quare hoc incommodum Scipioni adscribendum videtur. Huiusmodi est illa quoque conquestio:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accedisset abiegna ad terram trabes!

Longius enim repetita est, quam res postulabat. Mala definitio est, cum aut communia discribit, hoc modo: Seditiosus est is,

---

si contrarium (v. 1) om. VS¹, add. in mrg. S² (m. rec.). 1. *sin constans* V¹. 2. *adversarium* VS¹, *adversum* S²Pω, cf. I 94. — *in quo*] *id quod* P. 4. *autem*] *aũ* V. 7. *ad aliam* S², *ad aliquam* S¹, *aliquam* VP¹, *in aliquam* P²ω. 8. *nunc* ω, *non* C. — *ut hoc modo* ω. 12. Fragm. incertum apud Ribbeck Scaen. I 263, cf. Cornif. II 40. 15. *periclo* Lamb., *periculo* C. — *sola* V¹P, *solus* V²S (in V¹ *ola* in ras. est). 16. *repetitur* T Lamb., *reperitur* A, *petitur* C, quod rec. K. 17. *P.* om. VS¹. — *spicio* P. — *tiberio graco* (alt. *c* s. l. add.) V. 18. *conl.* V², *col.* V¹, *coll.* S. — *unus Gracchus* W, *grachos* (*c* s. l. add.) VP(?), *graccos* S, *Gracchus* Madvig Adv. I 57. 20. *scribendum* S. 21. Ennii Trag. ed. Ribb. v. 205 sq., cf. Cornif. II 34. 23. *caesae* C. — *accedissent* V¹P¹, *//c̄cidisset* (sup. *e* est *n*) S, *accidissent* V², *cecidissent* P², cf. O. Ribbeck. — *abiegna* om. VSP¹. 24. *dif.* V, *diff.* S. 25. *communi*/ *//*S¹, *a communi* S², *communio* V. — *discribit* V, *descr.* PS.

qui malus est atque inutilis civis; (nam hoc non magis seditiosi quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicuius hominis improbi vim describit;) aut falsum quiddam dicit, hoc pacto: Sapientia est pecuniae quaerendae intellegentia; aut aliquid non grave nec magnum continens, sic: Stultitia est inmensa gloriae cupiditas. Haec quidem stultitia est, sed ex parte quadam, non ex omni genere definita. Controversum est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa adfertur, hoc modo:

Eho tu, di, quibus est potestas motus superum atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

92. Perspicuum est, de quo non est controversia: ut si, qui Orestēn accuset, planum faciat ab eo matrem esse occisam. Non concessum est, cum id, quod augetur, in controversia est, ut si, qui Ulixen accuset, in hoc maxime commoretur: Indignum esse ab homine ignavissimo virum fortissimum Aiacem necatum. Turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicit, aut eo tempore, quo dicitur, aut eis, qui audiunt, aut ea re, qua de agitur, indignum propter honestatem videtur. Offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit, ut si qui apud equites Romanos cupidos iudicandi Caepionis legem iudiciariam laudet.

---

1. *qui*] *quam* (per compendium) V. — *malus est* W, *malus* C. — *atque*] *aut* S. — *civis* VSP^1, *civis est* P$^2\omega$. 2. *quam*] *qui* V^1. 5. *inmensa* Baiter, cf. Verg. VI 824, Cornif. II 34, *inmensae* C. 6. *haec* VS^1, *est haec* S^{2}P. — *stultitia est* W, *stultitia* C. — *quadam*] *qua* V. 7. *dif.* VS. 8. *aff.* VS. — *affer|||tur* S (fuerat in ras. *a*). — Cf. Ennii Trag. ed. Ribb. 122 sq., Cornif. II 39. 9. *dii* VS. 11. *concordiam* (s. l. add. man. rec.: *inter homines*) V. 12. *quis* V, *qui cum* ω. 13. *oresten* PS, *orestem* V. — *accusent* S^2. — *faciunt* VS. — *esse*om. S. 14. *augetur*] *arguitur* Baiter. 15. *qui* V^1, *qui cum* V^{2}PS. — *ulixen* P, *ulixem* VS. 17. *aut* prius om. V. — *dicetur* VSP^2. — *aut ab homine* VS. — *dicat* VS. 18. *his* C. — *aut eam rem* V, *aut ad eam rem* S. 19. *honestatem* W, *inhonestatem* P, *inhonestam rem* VS. Vocabulum *inhonestatem*, quod rec. post Schuetzium K, Tertullianeum, non Tullianum esse animadvertit Baiter. — *videtur; caepionis legem iudiciariam laudet; offensum est . quod eorum qui audiunt . voluntatem ledit; ut si quis apud equites sunt . cupidos* (sup. *o* est *v*) *iudicandi; Contrarium est* V, *videtur. Caepionis* (s. l. *ut is quis*) *. . laudet. Offensum est . . apud equites ////// sunt* (s. l. *sit*) *cupidus iudicandi. Contrarium est* S. — *offensum quod* P. 20. *si qui* P, *si quis* VS.

L. 93. Contrarium est, quod contra dicitur atque ei, qui audiunt, fecerunt, ut si qui apud Alexandrum Macedonem diceret nihil esse crudelius quam urbes diruere, cum ipse Alexander Thebas diruisset. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur, ut si, qui dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivi; aut, se amico adesse propter benevolentiam, sperare enim aliquid commodi ad se perventurum. 94. Adversarium est, quod ipsi causae aliqua ex parte officit, ut si quis hostium vim et copias et felicitatem augeat, cum ad pugnandum milites adhortetur. Si non ad id, quod instituitur, adcommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur: si plura pollicitus pauciora demonstrabit; aut si, cum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: Mulierum genus avarum est; nam Eriphyla auro viri vitam vendidit; aut si non id, quod accusabitur, defendet, ut si qui, cum ambitus accusabitur, manu se fortem esse defendet; aut ut Amphion apud Euripidem, qui vituperata musica sapientiam laudat; aut si res ex hominis vitio vituperabitur, ut si qui doctrinam ex alicuius docti vitiis reprehendat; aut si qui, cum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicat; aut si rem cum re ita conparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit, aut [si] alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem; 95. aut si, cum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio, ut si qui, cum aliqui deliberent, bellum gerant, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret; aut si ratio alicuius rei reddetur falsa, hoc modo:

---

1. *contra ea* P^2. — *hi* C. 2. *qui* VS^1, *quis* S^2P. — *Macedonem*] add. C: *dicens contra aliquem urbis expugnatorem,* del. W. 5. *si qui* W, *si qui cum* C, cf. p. 65, 12. 15. 6. *valitudine* VS. 7. *vivi* VP^1, *vive* S^1, *vivere* S^2P^2. — *beniv.* VS. 8. *enim*] *tamen* in ras. corr. P. — *adversarium* VS^1, *adversum* S^2P, cf. p. 64, 2. 9. *quis* C, *qui* ω. 11. *Si non ad id ... adcommodabitur* om. VS^1, add. in mrg. S^2. 15. *eriphila* VSP^2, *eiphila* P^1. — *vir*/// (*i* sup. ras. add.) S. 17. *aut ut* VP, ////// *ut* S, *ut* ω. 18. *eripidem* V^1, add. C: *item apud Pacubium,* om. Voss. I ac del. K, cf. Cornif. II 43. — *laudet* P^1. 20. *vitiis* VS, *vitio* Pω. — 21. *aut si qui* S^2ω. 23. Malim: *aut alteram.* 24. *instituitur* P^1S, *instruitur* V. 25. *ut* P, ///*ut* S, *aut* V. — *si cum* (*qui* om.) V. 27. *si* om. V, s. l. S.

Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam efficit; aut infirma, ut Plautus,

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verum in aetate utile
Et conducibile; nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia;

aut eadem, hoc modo: Malum est avaritia; multos enim magnis incommodis adfecit pecuniae cupiditas; aut parum idonea, hoc modo: Maximum bonum est amicitia; plurimae enim delectationes sunt in amicitia.

LI. 96. Quartus modus erit reprehensionis, per quem contra firmam argumentationem aeque firma aut firmior ponitur. Hoc genus in deliberationibus maxime versabitur, cum aliquid, quod contra dicatur, aequum esse concedimus, sed id, quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus; aut cum id, quod illi defendant, utile esse fatemur, quod nos dicamus, honestum esse demonstramus. Ac de reprehensione haec existimavimus esse dicenda.

97. Hermagoras digressionem deinde, tum postremam conclusionem ponit. In hac autem digressione ille putat oportere quandam inferri orationem a causa atque a iudicatione ipsa remotam, quae aut sui laudem aut adversarii vituperationem contineat aut in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis aut reprehensionis, non argumentando, sed augendo

---

2. *efficit* Ernesti, *efficiat* C. — *aut si* $S^2\omega$. — *Plaut.* Trin. 23—26, cf. Cornif. II 35. 3. *nox//am* S, *noxam* VP. 4. *inm////ne* (sup. ras. *a*) S, ut fuisse videatur: *inmene* (= *inmoene*), cf. Ritschl ad Plauti locum. — *verum* s. l. S, *vero* VP^1, natum scilicet ex *verom*. 5. *hodie amicum* S. 6. *non concastigabo* (*non con* punctis del.) S, *castigabo* P^1, *non castigabo* P^2. — *noxa* C. 7. *hoc modo*] Vel post vel ante haec verba add. ω: *maximum*. 8. *aff.* VS. 9. *maxime* VSP^1. — *delectationes sunt* VS, *sunt delect.* P. 10. *in* s. l. S. 11. *erat* Pω (*erit* etiam M). 12. *ponebatur* ω. 14. *dicitur* K, hanc lectionem in AT esse ratus. 15. *aut cum id ... demonstramus* (17) om. S^1, add. in mrg. S^2. 16. *fatemur* Schuetz (𝔐), *fateamur* C. 17. *demonstramus* Schuetz (𝔐), *demonstremus* C. — *haec* W, *haec quidem* C, *quidem haec* ω. Mihi *quidem* eo tempore additum videtur, cum proxima quae sequitur enuntiatio adnexa est: *deinceps nunc de conclusione ponemus*, quam primus delendam esse vidit Oudendorp, cf. p. 68, 6. 22. *aut* prius s. l. V. 23. *qua re* S.

per quandam amplificationem. Hanc si qui partem putabit esse orationis, sequatur licebit. Nobis non placuit partium in numerum reponi, quod de causa digredi nisi per locum communem displicet; quo de genere posterius est dicendum. Laudes autem et vituperationes non separatim placet tractari, sed in ipsis argumentationibus esse inplicatas. Nunc dicemus de conclusione.

LII. 98. Conclusio est exitus et determinatio totius orationis. Haec habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. Enumeratio est, per quam res disperse et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subiciuntur. Haec si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intellegetur; sin varie fiet, et hanc suspitionem et satietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, singillatim unam quamque rem attingere et ita omnes transire breviter argumentationes; tum, id quod difficilius est, dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unam quamque partem confirmaris; tum ab eis, qui audiunt, quaerere, quid sit, quod sibi velle debeant demonstrari, [hoc modo: Illud docuimus, illud planum fecimus]. Ita simul et in memoriam redibit auditor et putabit nihil esse praeterea, quod debeat desiderare. 99. Atque in hoc genere licebit, ut

---

1. *putabit* SV², *putavit* V¹P, *putarit* ω. 2. *sequatur*] add. ω: *Hermagoram,* del. Oudendorp, cf. p. 13, 6 et 50, 3. — *licebit*] Add. C: *nam et augendi et laudandi et vituperandi praeccepta a nobis partim data sunt partim suo loco dabuntur,* incl. K, nec ullum est vestigium apud Victorinum 255. — *nobis* V¹, *nobis autem* V²PS. — *placet* ω. — *partium* Linsmayer, *hanc partem* C, et *hanc* quidem del. K. Fortasse *hanc partem* subditicium est emblema. — *numerum* C, *numero* ω, cf. ad I 39. 3. *deponi* C. — *degredi* VP¹. 6. *de conclusione dicemus* Pω. 7. *conclusio ... orationis* M. 8. *indignationem conquestionem* om. V¹, s. l. add. V². 12. *intellegitur* V, *intelligitur* PS, cf. Iul. Vict. 429, 20. 13. *suspicionem* S. — *saciet.* VS. 15. *adtingere* V. — *omnis* V¹. 16. *tum* S, *tum ad* VP¹, *tum autem* P²ω. S quoque *ad* om. in rasura. 17. *par//tione* V¹. 19. *his* C. — *audient* P². 20. *hoc modo ... planum fecimus* incl., cf. Vict. 256, 15. Iul. Vict. 429, 26. 23. *in hoc genere licebit* W, *in his generibus* C, cf. Iul. Vict. 429, 28: *ita fit, ut enumeratio sit aut variarum argumentationum separatim decursus, aut tuarum et contrariarum comparatio, et cum tuam dixeris argumentationem, tunc contra eam quae afferrentur, quem-*

ante dictum est, tum tuas argumentationes transire separatim, tum, id quod artificiosius est, cum tuis contrarias coniungere; et cum tuam dixeris argumentationem, tum, contra eam quod adferatur, quemadmodum dilueris, ostendere. Ita per brevem conparationem auditoris memoria et de confirmatione et de reprehensione redintegrabitur. Atque haec aliis actionis quoque modis variare oportebit. Nam tum ex tua persona enumerare possis, ut, quid et quo quidque loco dixeris, admoneas; tum vero personam aut rem aliquam inducere et enumerationem ei totam attribuere. Personam hoc modo: Quid? Legis scriptor si exsistat et quaerat a vobis, quid dubitetis, quid possitis dicere, cum vobis hoc et hoc sit demonstratum? Atque hic item ut in nostra persona licebit alias singillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitionis singula genera referre, alias ab auditore, quid desideret, quaerere, alias haec facere per conparationem suarum et contrariarum argumentationum. 100. Res autem inducetur, si alicui rei huiusmodi, legi, loco, urbi, monumento oratio attribuetur per enumerationem, hoc modo: Quid, si leges loqui possent, nonne haec apud vos quererentur? Quidnam amplius desideratis, iudices, cum vobis hoc et hoc planum factum sit? In hoc quoque genere omnibus eisdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex una quaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unum quidque quam brevissime transeatur, ut memoria, non oratio renovata videatur.

LIII. Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in ali-

---

admodum dilueris, ostensio. K *hoc modo* (p. 68, 20) ... *coniungere* (v. 2) incl. 1. *tuas*] ///*has* V. 2. *contariis* VS. 4. *adferatur* W, *auferetur* V^1, *afferetur* V^2PS, *afferretur* Iul. Victor, *afferebatur* ω. 6. *accionis* V. 9. *ei*] *et* VP^1. 10. *Quid?* ... *sit demonstratum* (12) M et Iul. Vict. 429. — *Quid? Legis scriptor si* W, *quid si legis scriptor* Iul. Vict., *nam legis scriptor* VP^1, *num quid* (sup. *num* est *nam*) *si leg. scr.* S, *nam quid si leg. scr.* M, *nam si leg. scr.* $P^2ω$. 11. *exstat* VS. — *si quid a nobis* VS^1, *sic id a nobis* S^2P^1. Hoc *si quid* pertinet scilicet ad v. 10. 12. *sit* om. V in ras., *demonstratum est* S. — *atque* ... *contrariarum argumentationum* (16) incl. K, sed cf. Vict. 14. *partitionis* Iul. Vict. W, *partitiones* C, cf. Vict. 256, 29. 18. *quid si* ... *factum sit* (20) M. Iul. Vict. 430. — *quod si* M. 19. *possint* et *querantur* Iul. Vict., *possint* P^1. 21. *isdem* P, *hisdem* VS. 23. *argumentione* (*ta* s. l. add.) V. 24. *id eligatur* P, *delegatur* VS^1, *id deligatur* S^2. 26. *Indignatio* ... *concitetur* (p. 70, 1) M. Iul. Vict. 430, 12.

quem hominem magnum odium aut in rem gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intellegi volumus, posse omnibus ex locis eis, quos in confirmandi praeceptione posuimus, tractari indignationem. Nam ex eis rebus, quae personis atque negotiis sunt attributae, quaevis amplificationes et indignationes nasci possunt, sed tamen ea, quae separatim de indignatione praecipi possunt, consideremus. 101. Primus locus sumitur ab auctoritate, cum commemoramus, quantae curae res ea fuerit eis, quorum auctoritas gravissima debeat esse, dis inmortalibus, qui locus sumetur ex sortibus ex oraculis, vatibus ostentis, prodigiis responsis similibus rebus; item maioribus nostris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatui, populo, legum scriptoribus. Secundus locus est, per quem illa res ad quos pertineat, cum amplificatione per indignationem ostenditur, aut ad omnes aut ad maiorem partem, quod atrocisissimum est; aut ad superiores, quales sunt ei, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum est; aut ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est; aut ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam sit eventurum, si idem ceteri faciant; et simul ostendimus, huic si concessum sit, multos aemulos eiusdem audaciae futuros; ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. 102. Quartus locus est, per quem demonstramus multos alacres exspectare, quid statuatur, ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat, intellegere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus ceteras res perperam constitutas intellecta veritate commutatas corrigi posse; hanc esse rem, quae si sit semel iudi-

---

1. *magnum odium aut ira aut gravis offensio* Iul. Vict., quod probatur a Linsmayero, cuius opinio a Kaysero, cum §§ 102—103 attulit, haud quaquam refutata est. — *in* om. V. Fort. *aut certe gr. off.*, cf. Alb. 542, 21. 3. *locis his* VS, *his locis* P. — *confirmandis* VP. — *praeceptione* VS, *praeceptis* Pω, cf. II 31. 4. *his* C. — *atque* P, *aut que* V, *et quae* S. 5. *attributae sunt* ω. — *amplificationis* V¹. — *indignatione* V. 8. *his* C. 9. *dis inmortalibus* punctis del. in S, P² mrg. S ω habent post *fuerit* (8): *dis inm. aut* (*et*) *eis* etc. 10. *ortibus* (*s* s. l. add.) V. 12. *senatui* V, *senatu*// S, *senatu* Pω. 14. *aut ad omnes* C, *an ad omnes* S², *aut* incl. K. 15. *aut* VP, *an* S, cf. Philolog. XXXVIII 90 et Madvigii Opusc. II 164. — *aut* ω, *an* C. 16. *hi* C. 17. *aut ... aut* ω, *an ... an* C. 22. *demonstrabi*/////// (sup. ras. *mus*) S. 23. *expectare* V. — *quod* V¹. 24. *quod* V¹. 25. *possit* V¹.

cata, neque alio commutari iudicio neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto et de industria factum demonstratur et illud adiungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere, inprudentiae concedi nonnumquam convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod taetrum, crudele, nefarium, tyrannicum dicamus, factum esse per vim manum opulentiam; quae res ab legibus et ab aequabili iure remotissima sit. LIV. 103. Octavus locus est, per quem demonstramus non vulgare neque factitatum esse ne ab audacissimis quidem hominibus id maleficium, de quo agatur, atque adeo a feris hominibus et a barbaris gentibus et inmanibus bestiis esse remotum. Haec erunt, quae in parentes, liberos, coniuges, consanguineos, supplices crudeliter facta dicentur, et deinceps si qua proferantur in maiores natu, in hospites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuscum vitam egeris, in eos, apud quos educatus sis, in eos, a quibus eruditus, in mortuos, in miseros et misericordia dignos, in homines claros, nobiles et honore usos, in eos, qui neque laedere alium nec se defendere potuerint, ut in pueros, senes, mulieres; quibus ex omnibus acriter excitata indignatio summum in eum, qui violarit horum aliquid, odium commovere poterit. 104. Nonus locus est, per quem cum aliis, quae constat esse peccata, hoc, quo de quaestio est, conparatur, et ita per contentionem quanto atrocius et indignius sit illud, de quo agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio gerundo acta sunt quaeque post negotium consecuta sunt, cum unius cuiusque indignatione et criminatione conligimus et rem verbis quam maxime ante oculos eius, apud quem dicitur,

---

3. *factum esse* S^2. — *malefacio* S^1. 4. *opotere* (*r* s. l. add.) V. 5. *est* s. l. V. — *te///trum* V. 6. *dicamus, factum esse* W, *factum esse dicamus* C. 7. *opulentiam* Palat. II, *opulentam* C. Verba *per vim ... opulentiam* incl. K. — *gibus* (*le* s. l. add.) V. — *et aequabili* V^1, nescio an rectius, cf. Alb. 542, 34. 8. *remotissima sit* VS, *remotissimae sit* P^1 (*sint* $P^2\omega$). 9. *neque ab* VS. 10. *agatur* VP^1, *agitur* SP^2. — *atque adeo* W, *atque id* C. — *a feris quoque* Pω. 11. *abbarbaris* (priore *b* erasa) V. Videtur *a* quoque delenda esse. 14. *maioris* V^1. 16. *ab quibus* P. 18. *potuerint* Ernesti, *potuerunt* C, quod rec. K. 20. *horum*] *horis* V^1. — *cummovere* V. 21. *constat* V^1, *constant* V^2PS, quod rec. K. 22. *quod e* VS. 23. *atrotius* V. 25. *gerendo* S^2. — *negotio* V^1. 26. *cuius* (*que* s. l. add.) V. — *conligimus*] *colimus* V, ex scriptura videlicet *coligimus*. 27. *maxima* V^1.

ponimus, ut id, quod indignum est, proinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit ac praesens viderit. Undecimus locus est, per quem ostendimus ab eo factum, a quo minime oportuerit et a quo, si alius faceret, prohiberi convenerit. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit neque alicui umquam usu venerit. 105. Tertius decimus locus est, si cum iniuria contumelia iuncta demonstratur, per quem locum in superbiam et adrogantiam odium concitatur. Quartus decimus locus est, per quem petimus ab eis, qui audiunt, ut ad suas res nostras iniurias referant; si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent; si ad mulieres, de uxoribus; si ad senes, de patribus aut parentibus. Quintus decimus locus est, per quem dicimus, inimicis quoque et hostibus ea, quae nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio quidem his fere de locis gravissime sumetur.

LV. 106. Conquestio autem est oratio auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae vis in omnes et hominum infirmitas ostenditur; qua oratione habita graviter et sententiose maxime demittitur animus hominum et ad misericordiam conparatur, cum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. 107. Deinde primus locus est misericordiae, per quem, quibus in bonis fuerint et nunc quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint et sint et futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unum quodque deploratur incommodum, ut in morte filii pueritiae delectatio, amor, spes, solatium, educatio

---

1. *perinde* ω. 2. *et praesens* ω, quod rec. K. 4. *convenerit* Halm, *conveniret* C, cf. v. 6. 5. *indignamur* S^2P, *indignemur* VS^1. — *primus* V^1. 6. *alicui||u||quam* (*u* in fine versus extra lin.) V, om. *umquam* S. — *venerit* S^1P, *veniret* VS^2. 8. *arrog.* VS. 9. *his* C. 11. *mulieris* V^1. 14. *quidem* om. x. 15. *sumetur*] Add. C: *Conquestionis autem huiusmodi de rebus partes petere* (*partes esse petere* VP^1) *oportebit* (*petere op. partes* x), del. Schuetz et Kayser. 16. *conquestio autem* W, *conquestio* CM Iul. Vict. 430. 17. *animum auditoris mitem* om. VS^1, s. l. add. S^2. 18. *confidere* V. 19. *commonibus* V^1. — *furtunae* V. 20. *in ominis* VP^1, *in hominis* P^2, *in omnes* in ras. S. — *qua*] *quia* V. 21. *dimittitur* VS. 24. *quam* P^1. — *nunc per quem quibus* C. 27. *quoque* (*d* s. l. add.) V. 28. *fili* V^1.

et, si qua simili in genere quolibet de incommodo per conquestionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes et humiles et inliberales proferuntur et indigna esse aetate, genere, fortuna pristina, honore, beneficiis, quae passi perpessurive sint. Quintus, per quem omnia ante oculos singillatim incommoda ponuntur, ut videatur is, qui audit, videre et re quoque ipsa, quasi adsit, non verbis solum ad misericordiam ducatur. 108. Sextus, per quem praeter spem in miseriis demonstratur esse, et, cum aliquid exspectaret, non modo id non adeptum esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus, per quem ad ipsos, qui audiunt, convertimus et petimus, ut de suis liberis aut parentibus aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos cum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non adfui, non vidi, non postremam vocem eius audivi, non extremum spiritum eius excepi. Item: Inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter iacuit insepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. 109. Nonus, per quem oratio ad mutas et expertes animi res refertur [ut equum, domum, vestem sermonem alicuius accommodes], quibus animus eorum, qui audiunt et aliquem dilexerunt, vehementer commoveatur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur. Undecimus, per quem liberorum aut parentum aut sui corporis sepeliendi aut alicuius eiusmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem disiunctio deploratur ab aliquo, cum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris, ut a parente filio, a fratre familiari. Tertius decimus, per quem cum indignatione

---

1. *de incommodo*] *deinde quomodo* VS. 3. *proferuntur* ex Bamberg. et Leid. II Lambin, *proferentur* C. — *indigna esse* W, *indignas* VS^1, *indignae* S^{2}P. — *furtuna* V. 4. *pristina* VS, *pristino* Pω. — *quae* PSω, *que* V, vulgo: *quas*. 5. vulgo *ponentur*. 6. *re*////// V. — *assit* VS. 8. *miseris* VS^1. — *exp.* V. 9. *adeptum* C, vulgo: *adeptus*. 10. *incedisse* VSP^1. — *audiunt*] add. C: *similem in causam, ω similem casum,* incl. K. 14. *affui* S, *affuit* (*t* del.) V. 16. *accepi* S. 19. *muta* V. — *expertis* V^1. — *refertur* ω, *referetur* C. — *ut equum* VP^{1}S^1, *ut si ad eq.* P^{2}S^2, *ut ad eq.* ω. Verba *ut... accommodes* (*acom.* V^1) del. K, certe *alicuius* et *aliquem* inter se parum convenire videntur. 21. *commoveatur* Linsmayer, *commoventur* V, *commovetur* PS. 23. *liberorum* VS, *aut lib.* Pω. 25. *deducaris* P^1. 26. *aut a par.* S. — *a fratre* S, *affratre* V, *fratre* Pω. 27. *familiare* P.

conquerimur, quod ab eis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benigne fecerimus, quos adiutores fore putarimus, aut a quibus indignum est, servis, libertis, clientibus, supplicibus. LVI. Quartus decimus, qui per obsecrationem sumitur; in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur. Quintus decimus, per quem non nostras, sed eorum, qui cari nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextus decimus, per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus et tamen amplum et excelsum et patientem incommodorum esse et futurum esse, si quid acciderit, demonstramus. Nam saepe virtus et magnificentia, in quo gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam quam humilitas et obsecratio. Commotis autem animis diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacrima nihil citius arescit. Sed quoniam satis videmur de omnibus orationis partibus dixisse et huius voluminis magnitudo longius processit, quae sequuntur deinceps, in secundo libro dicemus.

---

1. *conqueritur* P^2. — *his* C. 3. *putarimus* P, *putamus* V^1, *putaremus* V^2S. — *est* P, om. VS, *sit* ω. — *servis* VS, *utservis* Pω. 4. *liberis* VS^1. — *subplic.* S. 5. *modo* incl. K. 8. *furtunas* V. 11. *si quid* $S^2ω$, *si quod quid* P^1, *si quicquid* P^2VS^1, *quicquid* Linsmayer et K. — *accederit* V^1. 15. *apo||lius* V, *apolius* S^1. — *nihil citius*] *nihil facilius* Quint. VI 1, 27, sed illud in proverbium abiit. 16. *satis*] *et satis* Orelli, sed in meis omnibus *et* deest, ut etiam in P illud abesse credam. — *ut videmur* PAT. — *orationis part.* VSP, *partib. or.* ω. 17. *dixisse* VS, *diximus* PAT. In V *sse* non in rasura, sed in membrana vitiata exstare videtur, ut paulo ante *satis* et versu post long*ius*, et propter locum perforatum, sed tamen alterius scripturae vestigia post *sse* etiam nunc dignosci posse videntur. Codici autem P hoc in genere non tantum tribuerim, quia rasuras litterarumque inmutationes parum diligenter is qui exscripsit animadvertisse videtur. 18. *secuntur* VS. — *EXPLICIT LIBER PRIMUS RETHORICAE* V, in S subscr. deest, ex P nihil enotatum est.

M. TULLII CICERONIS

ARTIS RHETORICAE

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Crotoniatae quondam, cum florerent omnibus copiis et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleoten Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras conplures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit, et, ut excellentem muliebris formae pulcritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit; quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si, quo in genere plurimum posset, in eo magno opere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. 2. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis ilico quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt in palaestram atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. Etenim quodam tem-

---

1. *Crotoniatae ... numerarentur* M. — *florent* (*re* s. l. add.) V. 2. *in primis* S^2. — *munerarentur* VS^1, videlicet *templum Iunoni!* 3. *relegios.* V^1. 4. *eracleoten* VS, *heracleotem* (?) P. — *zeusin* SM, deest in ras. V. 5. *estimabatur* S, ////////*mabatur* V. — *precio* S. 7. *religionem* om. V^1S^1, add. in mrg. V^2, s. l. S^2. 8. *ut exc.... contineret* incl. K. — *mulieris* P^1. — *pulchr.* VS. 9. *se pingere* Ernesti, *pingere* VPS^1, *pingere se* $S^2\omega$. — *simulachrum* VS. 10. *qui* S^1, *cum* S^2. — *muliebre* (*i* sup. *e*) V. 11. *accipissent* VS. 12. *si in eo* S^2. — *magnopere* VS. 13. Malim *in fano* delere et *illum* scribere. 15. *his* C. — *habere*(*nt* s. l. add.) V.

pore Crotoniatae multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antisteterunt atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum laude maxima rettulerunt. Cum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare, qua sint illae dignitate, potes ex his suspicari. Praebete igitur mihi, quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. 3. Tum Crotoniatae publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt et pictori quam vellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poëtae memoriae prodiderunt, quod eius essent iudicio probatae, qui pulcritudinis habere verissimum iudicium debuisset. Neque enim putavit omnia, quae quaereret ad venustatem, uno se in corpore reperire posse ideo, quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque, tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur.

II. 4. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocunque essent in genere, exprimendae nobis necessarie viderentur; sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex eis enim, qui nomine et memoria digni sunt,

---

1. *corotoniatae* V. 2. *antisteterunt* Ritschl (Opusc. II 559), *antestiterunt* V, *ante steterunt* PS. 3. *lau(de* s. l.) V. — *retulerunt* VS. 4. *hic* incl. K. 7. *formonsissimas* (*n* del.) V. 8. *ut mutum ... transferatur* incl. K, sed cf. M 258, 27. — *simulachrum* S. — *anim(ali* m. 2 add.) V, *animali////// S.* 9. *veritatis* (*ti* del.) V, atque inde conicere possis: *mutum simulacrum ex animali exemplo veritatis.* 10. *quas* S^2. — *elegit* P^1, sed cf. C. W. Mueller ad Seyff. Lael. p. 405. 12. *memoria* P. — ///////*diderunt* S^1, *tradiderunt* S^2. 13. *quid* V^1. — *pulchr.* S. — *habere*//// V. 14. *quae* s. l. V. 15. *in corpore uno se* Baiter. — *repperire* VS. — *simplici*] *suo in genere* vel *singulari in re* coniecit K, sed cf. vv. 21. 22. 17. *ita* S. — *tam(quam* s. l. add.) V. — *una* V^1. 20. *qu*//*d* V. — *quoniam*] *quonĩ* V. 23. *necessarie* VSP^1, *necessario* P^2, sed cf. p. 40, 4. 24. *quique* (*s* s. l. add.) S. — *commodisse* V^1. 25. *excersimus* (*p* s. l. add.) V. — *ex* s.[l. S. 26. *his* C.

nec nihil optime nec omnia praeclarissime quisquam unus dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia visa est aut a bene inventis alicuius recedere, si quo in vitio eius offenderemur, aut ad vitia cuiusque accedere, cuius aliquo bene praecepto duceremur. 5. Quodsi in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quidque quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus illi adrogantia offenderent, non tanto opere in vitiis perseverarent, aliquanto levius ex inscientia laborarent. Ac si par in nobis huius artis atque in illo picturae scientia fuisset, fortasse magis hoc in suo genere opus nostrum quam illius in suo pictura nobilis eniteret. Ex maiore enim copia nobis quam illi fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe et ex eo numero virginum, quae tum erant, eligere potuit; nobis omnium, qui umquam fuerunt ab ultimo principio huius praeceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcunque placeret, eligendi potestas fuit.

6. Ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos unum in locum conduxit Aristoteles et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit atque enodata diligenter exposuit; ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quid illi praecipiant, velint intellegere, ad hunc quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur. 7. Atque hic quidem ipse et sese ipsum nobis et eos, qui ante fue-

---

1. *quisquam unus* W, *quisnam* V, *quisquam* PS. 3. *in vitio*] *invento* VS. — *offenderemur*] Verr. I 64: *veritus ne quid in ipso se offenderetur* est in Lag. 42 *offenderet*. — *ad vitia* V^2, *vitio* (sine *ad*) V^1. 4. *cuiusque* W, *eius quoque* C, vulgo: *quoque eius*. 6. *quidque* W, *quoque* VP^1, *quodque* $P^2S\omega$. — *certe* VS^1. 7. *minus illi adrogantia* W, *minus in arrogantiam* C, *minus* [*in*] *adrogantia* K. — *tantopere* VS. 8. *in-cienti(a* s. l. add.) V. 10. *illius* W, *ille* VS, post *pictura* habet P. — *in suo* K, *in sua* C. — *quam in suo pictura illa* K. 12. *elegendi* VS. 13. *elegere* S^1. — *qui umquam* W, *quicum* (*q;* s. l. add.) V, *quicumque* PS, cf. p. 78, 2. 17. *usque ad principem illum atque in ventorem tisiam* VS, ablativos recte tradit M. 20. *enodota* VS. 21. *ipsis*] *illis* malim. 23. *quid* W, *quod* C. — *vel(int* m. 2 add.) V. 24. *explicatorem* om. V^1S^1, ut hoc nomen ex coniectura ortum videatur aut ex Or. § 31 desumptum. 25. *sese* VS, *se* Pω. — *ante* V^1P^1, *ante se* V^2P^2S.

runt, in medio posuit, ut ceteros et se ipsum per se cognosceremus; ab hoc autem qui profecti sunt, quamquam in maximis philosophiae partibus operae plurimum consumpserunt, sicuti ipse, cuius instituta sequebantur, fecerat, tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitulati sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates; cuius ipsius cum constet esse artem non invenimus. 8. Discipulorum autem atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. III. Ex his duabus diversis sicuti familiis, quarum altera cum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam adsumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et praeceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quae commode dici videbantur, in suas artes contulerunt; quos ipsos simul atque illos superiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus et ex nostro quoque non nihil in commune contulimus. 9. Quodsi ea, quae in his libris exponuntur, tanto opere eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt, profecto neque nos neque alios industriae nostrae paenitebit. Sin autem temere aliquid alicuius praeterisse aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse turpe est, propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari cuiusque vitio est attributum.

---

1. *et ceteros* vulg. 2. *quamque* V¹S. 3. *sicuti ipse* AT, *sicutei ipse* M. Haupt (Opusc. I 114), *sicut et ipse* CM, cf. p. Cluent. 117. 4. *fecera//t* V. 5. *praeceptoris* S¹. 6. *emanaverunt*] Hoc voc. sequitur ras. in fine paginae V. 7. *profecit* P¹. 8. *socrates* VP¹, *//socrates* S. 9. *cum constet* W, *quam constet* VP, *quam constat* S, quod rec. K. 11. *praefata* VS¹. — *repp.* VS. 12. *philosopia* V, *philosophya* S. 13. *assum.* V. 17. *omnes a fac.* V¹, *omnes quoad fac.* V². — *detulit* S². 18. *nostro* ω, *nostra* C. 19. *que* V¹. 20. *fuerint* VS¹. 21. *poenitebit* S. 22. *elegantur* V¹. 23. *commutabimus sent.* P, quod rec. Bait. K. 24. *stulto* S. 26. *infirmitate* V¹. — *singulari* PM, *singulare* VS. — *unius cuiusque* ω. — *vitium* V. — *adtr.* VS. Fort. scr.: *alterum commune hominum infirmitatis est, alterum singulare cuiusque vitium*, cf. Vict. 259. Sed in *singulare e* ex *i* in V correctum videtur.

10. Quare nos quidem sine ulla adfirmatione simul quaerentes dubitanter unum quidque dicemus, ne, dum parvulum [hoc] consequamur, ut satis haec commode perscripsisse videamur, illud amittamus, quod maximum est, ut ne cui rei temere atque adroganter adsenserimus. Verum hoc quidem nos et in hoc tempore et in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur. Nunc autem, ne longius oratio progressa videatur, de reliquis, quae praecipienda videntur esse, dicemus.

11. Igitur primus liber exposito genere huius artis et officio et fine et materia et partibus genera controversiarum continebat, deinde partes orationis et in eas omnes omnia praecepta. Quare cum in eo ceteris de rebus distinctius dictum sit, disperse autem de confirmatione et de reprehensione, nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, hic tantum ipsa inventa unam quamque in rem exponentur simpliciter sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum petatur. Quare haec, quae nunc praecipientur, ad confirmationis et reprehensionis partes referre oportebit.

IV. 12. Omnis demonstrativa et deliberativa et iudicialis causa necesse est in aliquo eorum, quae ante exposita sunt, constitutionis genere uno pluribusve versetur. Hoc quamquam ita est, tamen cum communiter quaedam de omnibus praecipi possint, separatim quoque aliae sunt cuiusque generis diversae praece-

---

1. *affirm.* VS. 2. *quidque* VP¹S, *quodque* P²ω. — *hoc* om. VP¹S¹, *hoc parv.* P², *parv. hoc* S². — *consequamur* VP¹S, *consequimur* P²ω. 4. *admittamus* P. — *arrog.* VS. 5. *assens.* VS. — *tempore* om. VPS¹. 6. *feret* P, *ferret* V¹, *fert* V²S. 7. *ne*] *non* V¹. — *ratio* S. 9. *Igitur ... continebat* M. 10. *genera controversiarum*] Add. vulgo: *et inventiones et constitutiones et iudicationes*, sed *et constitutiones* om. ΔF, *et iudicationes* VS, omnia parum plane explicavit Victorinus, incl. K. 11. *orationes* S¹. 12. *in* s. l. V. 15. *convenisset* VS, *convenire et* Δ. An: *conveniens esset?* Sed huius dictionis nullum praeterea in his libris vestigium apparet. 16. *hic tantum ipsa inventa* M. — *tantum*] *tamen* VS. 17. *ipsa*/// *venta* (*in* s. l. add.) V. — *quamq;* V², *qq;* V¹. 18. *exor*//*na*/////////*tione* V. — *super*//*io*//////*re* (fuerat *iure*) V. 24. *tamen*] *tunc* V¹. Hoc scripturae vitium saepenumero in V, haud paucis etiam locis in S, rarius in P invenitur, idque in hoc potissimum II libro. 25. *et diversae* ω.

ptiones. Aliud enim laus aut vituperatio, aliud sententiae dictio, aliud accusatio aut recusatio conficere debet. In iudiciis, quid aequum sit, quaeritur, in demonstrationibus, quid honestum, in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit et quid utile. Nam ceteri utilitatem modo in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt. 13. Quorum igitur generum fines et exitus diversi sunt, eorum praecepta eadem esse non possunt. Neque nunc hoc dicimus, non eadem in easdem incidere constitutiones, verumtamen oratio quaedam ex ipso fine et ex genere causae nascitur, quae pertineat ad vitae alicuius demonstrationem aut ad sententiae dictionem. Quare nunc [in exponendis controversiis] in iudiciali genere causarum et praeceptorum versabimur, ex quo pleraque in cetera quoque causarum genera simili implicata controversia nulla cum difficultate transferuntur; post autem separatim de reliquis dicemus.

14. Nunc ab coniecturali constitutione proficiscamur; cuius exemplum sit hoc: In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam et secum aliquantum nummorum ferentem est consecutus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit; ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare cum in eandem tabernam divertissent, simul cenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Cenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, cum in alio maleficio deprehensus est) cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animum advertisset, noctu postquam illos artius iam ut ex lassitudine dormire sensit, accessit et alterius eorum, qui sine nummis

---

1. *aut vit.*] *aliud vit.* VS¹. 5. *utilitatem* V¹S¹, *utilitatis* V²PS². — *modum* S², *admodum* S³, add. C: *finem,* del. W. 7. *diversa* V², *diversi* (sed *i* m. 2) S. — *posunt* (altera *s* s. l. add.) V. 8. *non eadem in easdem* W, *non easdem* C, *non eadem in omnis* K. 9. *et ex*] *et* (om. *ex*) S. 11. *dictionem*] Add. K: *aut ad accusationem vel recusationem.* Sed cf. Vict. 260, 1. — *Quare ... de reliquis dicemus* (15) incl. K. — *in ponendis* (*ex* s. l. add.) S. 14. *transferuntur* C, *transferentur* ω. 16. *Nunc ... proficiscimur* (sic!) M. — *ad coniecturalem constitutionem* VS¹. — *proficiscemur* ω. 17. *hoc*] add. VS¹: *expositio,* S²Pω: *expositum,* del. W. — *quidam*] *quodam* in mrg. V². 18. *consecutus* ω, *comitatus* C. 19. *fere fit*] *fererit* V, *fereret* S¹. 21. *divertissent* P, *devertissent* VS. 22. *copo* VP¹S¹. 24. *est* VS¹, *esset* S²Pω. — *illud* corr. in *illum* V. 25. *animadvertisset* ω. — *ut* VS, *ut fit* Pω.

erat, gladium propter adpositum e vagina eduxit et illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse se in suum lectum recepit. Ille autem, cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel et saepius: 15. Illum somno inpeditum non respondere existimavit; ipse gladium et cetera, quae secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamat hominem esse occisum et cum quibusdam diversoribus illum, qui ante exierat, consequitur in itinere. Hominem conprehendit, gladium eius e vagina educit, reperit cruentum; homo in urbem ab illis deducitur ac reus fit. In hac intentio est criminis, Occidisti; depulsio, Non occidi. Ex quibus constitutio est, id est quaestio, eadem in coniectura qua est iudicatio, Occideritne?

V. 16. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controversiam. Hoc autem et in horum locorum expositione et in ceterorum oportebit attendere, non omnes in omnem causam convenire. Nam ut omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus litteris scribitur, sic omnem in causam non omnis argumentorum copia, sed eorum necessario pars aliqua conveniet. Omnis igitur ex causa, ex persona, ex facto ipso coniectura capienda est.

17. Causa tribuitur in inpulsionem et ratiocinationem. Inpulsio est, quae sine cogitatione per quandam adfectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, vinolentia et omnino omnia, in quibus animus ita videtur adfectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit et id,

---

1. *appos.* S. 2. *cruentatum* ω. 3. *lectulum* ω. — *recipit* V, fort. rectius. 6. *que* V. — *adtul.* VS¹, *abst.* S². 7. *solus* om. P¹. — *copo* VP²S¹. — *multum* S. — *conclamavit* S. 8. *devers.* V. 9. *consequitur. In itinere* VS, et sic vulg. interpunxit; ut nos distinxit K. 10. *vagine* (*a* sup. *e* add.) *ducit* V. — *repp.* VS. — *cruentatum* ω. 11. *ab aliis* S. 12. Ernesti hunc locum sic constituit: *ex quibus quaestio eadem est quae iudicatio,* Schuetz: *ex quib. quaestio est eadem in coniecturali constitutione quae iud.,* K. *ex quib. est quaestio eadem quae iud.* Cf. Vict. 260, 15; 261, 22. — *id est* om. in ras. S. 13. *coniectura* W, *coniecturali* C. — *qua est* W, *quae* C. 16. *expositionem* P. 17. *ut enim* ω. 19. *argumentatoris* VS. — *necessaria* P¹ω. 22. *tribuitur* VP²S¹M, *distr.* P²S²ω. — *et ratioc.* M, *et in ratioc.* C. Quod unde factum sit ut praepositio repeteretur, apparet ex Vict. 260, 36. 23. *affect.* VS. 25. *aff.* VS.

quod fecit, impetu quodam animi potius quam cogitatione fecerit. 18. Ratiocinatio est diligens et considerata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuisse tum, cum aliquid certa de causa vitasse aut secutus esse animus videtur, ut si amicitiae quid causa factum dicitur, si inimici ulciscendi, si metus, si gloriae, si pecuniae, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi adipiscendive commodi aut contra reiciendi, deminuendi devitandive incommodi causa. Nam in horum genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodi aliquid maioris adipiscendi commodi causa aut maioris vitandi incommodi suscipitur aut aliquod commodum maioris adipiscendi commodi aut maioris vitandi incommodi praeteritur.

19. Hic locus sicut aliquod fundamentum est huius constitutionis. Nam nihil factum esse cuiquam probatur, nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur. Ergo accusator, cum inpulsione aliquid factum esse dicet, illum impetum et quandam commotionem animi adfectionemque verbis et sententiis amplificare debebit et ostendere, quanta vis sit amoris, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat aut ex aliqua causa earum, qua inpulsum aliquem id fecisse dicet. Hic et exemplorum commemoratione, qui simili inpulsu aliquid commiserint, et similitudinum conlatione et ipsius animi adfectionis amplificatione curandum est, ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus animus accesserit. VI. 20. Cum autem non inpulsione, verum ratiocinatione aliquem commisisse quid dicet, quid com-

---

1. *facit* VS. — *quam*] *qui* V^1. 2. *est* W Alb. 533, *est autem* C, *autem est* ω. 3. *aliquid*] add. VPS^1: *faciendi aut non faciendi,* S^2: *faciendum aut non faciendum,* del. Schuetz. 4. *videtur ut* ω, *videbitur* (om. *ut*) VS Alb., *videbitur ut* PK. 5. *dicitur* C, *dicetur* ω. 8. *reiciundi* VS. — *deminuendi* s. l. S. 9. *incedent* S^1. — *in quibus . . . suscipitur* (11) M. — *incommodi* 𝔐, *commodi* CM. 10. *commodi causa* 𝔐, *causa* CM. Primus ex Victorino hunc locum emendavit Baiter. 11. *aliquid* VS, an: *aliquid commodi?* Equidem in P *aliquod* m. 1 esse non adducor ut credam. 13. *aliquid* V. 14. *cuique* V. — *nisi aliquid . . . dicet* (16) M. 15. *accusator ergo* M. 17. *aff.* VS. — *sententiis* S^1. 21. *qui . . . accesserit* (24) M. 22. *aff.* VS. — *amplificatione* K, *examplificatione* VPS^1, *explicatione* S^2ωM. *Ex ampl.* ortum esse videtur ex *adfectiones ampl.*, ut est in Δ. Nec tamen Kayseri emendatio certa est, quia *amplificatio* paulo ante satis commendata est. 24. *animus* suspectum Ernestio del. Schuetz, sed cf. v. 4. 25. *quod commodi* V^1.

modi sit secutus aut quid incommodi fugerit, demonstrabit et id augebit, quam maxime poterit, ut, quoad eius fieri possit, idonea quam maxime causa ad peccandum hortata videatur. Si gloriae causa, quantam gloriam consecuturam existimarit; item si dominationis, si pecuniae, si amicitiae, si inimicitiarum, et omnino quicquid erit, quod causae fuisse dicet, id summe augere debebit. 21. Et hoc eum magno opere considerare oportebit, non quid in veritate modo, verum etiam vehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert non fuisse aut non esse aliquid commodi aut incommodi, si ostendi potest ei visum esse, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines, cum aut res alio modo est ac putatur, aut non is eventus est, quem arbitrati sunt. Res alio modo est tum, cum aut id, quod bonum est, malum putant, aut contra, quod malum est, bonum, aut quod nec malum est nec bonum, malum aut bonum, aut quod malum aut bonum est, nec malum nec bonum. 22. Hoc intellectu si qui negabit esse ullam pecuniam fratris aut amici vita aut denique officio sibi antiquiorem aut suaviorem, non hoc erit accusatori negandum. Nam in eum culpa et summum odium transferetur, qui id, quod tam vere et pie dicetur, negabit. Verum illud dicendum est, illi ita non esse visum; quod sumi oportet ex eis, quae ad personam pertinent; de quo post dicendum est. VII. 23. Eventus autem tum fallit, cum aliter accidit, atque ei, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur, ut si qui dicatur alium occidisse ac voluerit, quod aut similitudine aut suspitione aut demonstratione falsa deceptus sit, aut eum necasse, cuius testamento non sit heres, quod eo testamento se heredem arbi-

---

1. *quod* (in ras.) *incommodi* S. 2. *ut quoad* in ras. S, *ut quoad*... (om. *eius*) P, *ut quod* VM. 4. *existimaret* V^1. 5. *omni*(*no* s. l. add.) V. 6. *causa* V, an: *in causa?* 8. *quid*... *fuerit* M. 9. *quem*] *que* V^1. — *arguit* S. 10. *si ostendi*... *homines* M. — *ostendi potest*] *ostendit* (i. e. *ostenditur*) ΔF. 11. *arguitur* S. 12. *alio modo* C, *alii* (*alius*) *modi* ωM, item v. 13. 13. *aut id*] *aut* om. V^1, add. s. l. V^2. 16. *intellectu* V^1S^1, *intellectum* in mrg. V^2, *intellecto* MPS^2ω. 17. *amici vita* (*ci vita* in ras.) S. *amititiae* V, *amici* P^1, *vita* ante *fratris* add. P^2. 18. *sibi* W, *suo* C, del. Ernesti Schuetz Orelli Baiter. 20. *qui id quod* P, *quod quod* V^1S^1, *qui quod* V^2S^2, idque rec. K. — *negabitur* PS, corr. in *negabit* V. 21. *est* C, *erit* ω. — *illi*... *visum* M. 22. *his* CM. 23. *hi* C. 24. *ut*... *voluerit* M. 25. *suspicione* VS. 26. *aut eum*... *sit heres* M. — *negasse* V^1PΔ. 27. *eo* V^1P, *eius* V^2S. — *se*] *sed* V^1.

tratus sit. Non enim ex eventu cogitationem spectari oportere, sed qua cogitatione animus et spe ad maleficium profectus sit, considerari; quo animo quid quisque faciat, non quo casu utatur, ad rem pertinere. 24. Hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit alii nemini causam fuisse faciendi, secundarium, si tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur, aut potestas defuisse aliis demonstranda est aut facultas aut voluntas. Potestas, si aut nescisse aut non adfuisse aut conficere aliquid non potuisse dicentur. Facultas, si ratio, adiutores, adiumenta, cetera, quae ad rem pertinent, defuisse alicui demonstrabuntur. Voluntas, si animus a talibus factis vacuus et integer esse dicetur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, eis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id brevi faciendum est et in unum multa sunt conducenda, ut ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed huius accusandi causa defendere alterum videatur. VIII. 25. Atque accusatori quidem haec fere sunt consideranda. Defensor autem ex contrario primum inpulsionem aut nullam fuisse dicet aut, si fuisse concedet, extenuabit et parvulam quandam fuisse demonstrabit aut non ex ea solere huiusmodi facta nasci docebit. Quo erit in loco demonstrandum, quae vis et natura sit eius adfectionis, qua inpulsus aliquid reus commisisse dicetur; in quo et exempla et similitudines erunt proferendae et ipsa diligenter natura eius adfectionis tamquam levis-

---

1. *expectari* VS. 2. *ad spe* P^1, *ac spe* P^2. — *profectus* Cf. Cornif. II 29. 3. *considerari* P^2, *considerare* VP^1S. — *non quo ... pertinere* M. 4. *in hoc* ω. — *caput*] add. glossam *principium* V^3. 5. *accusatoris* VS. — *causam* s. l. V^2, om. V^1. 6. *tam* W, *tantam* VP^1S^1, *tantam aut si tam* P^2S^2, *tantam aut tam* ω, *tantam* [*tam idoneam*] K. 8. *potestas ... adfuisse* M. — *si aut*] *sic . ut* VS^1. — *necisse* (*s* s. l. add.) V, *necesse* corr. in *nescisse* Δ. 9. *affuisse* S^2P^2, *fuisse* VP^1S^1. — *dicetur* ω. 10. *cetera quae* Baiter, *ceteraque* P^1, *ceteraque quae* VS, *et cetera quae* P^2. 11. *pertinebunt* (?) Pω. 12. *vacuus* (*uus* in ras.) S. 13. *dabimus* (*d* m. 2) V. — *his* C. 16. *acus.* (*c* s. l. add.) V. — *acusandi* V. 17. *Atque ... consideranda* incl. K. — *accusatori* in ras. S, *acusatori* V^1. — *sunt* om. VS^1, add. C: *in causa faciendi,* ω: *in causa facienda et,* del. W. 18. *defensor ... inpulsionem* M. 21. *quo erit* ω, *quo et erit* C. 21/22. *quuis* V^1. 22. *afect.* V, *affect.* S. 23. *in quo et*] *et* om. P^1. 24. *aff.* V. — *tamquam* K, *quam* C. — *levissime* VP, *lenissime* Lambin.

simae quietissima ab parte explicanda, ut et res ipsa a facto crudeli et turbulento ad quiddam mitius et tranquillius traducatur et oratio tamen ad animum eius, qui audiet, et ad animi quendam intimum sensum adcommodetur. 26. Ratiocinationis autem suspitiones infirmabit, si aut commodum sibi nullum aut aliis maius esse aut nihilo sibi maius quam aliis, aut incommodum sibi maius quam commodum dicet, ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeat, comparanda; qui omnes loci similiter in incommodi quoque vitatione tractabuntur. 27. Sin accusator dixerit eum id esse secutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum, quamquam in falsa fuerit opinione, demonstrandum erit defensori neminem tanta esse stultitia, qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si hic concedatur, illud non concessum iri, ne dubitasse quidem eum, quid aequius utiliusve esset, et id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro vero probasse. Qui si dubitarit, summae fuisse amentiae dubia spe inpulsum certum in periculum se committere. 28. Quemad-

---

1. *quietissima ab parte* W, *quietissimam ad partem* C, incl. K. 2. *quiddam* P, *quoddam* VS, idque rec. K. 3. *tamen*] *tunc* V. — *et animi* P, idque voluerat recipere K, cuius cf. adn. 4. *accom.* VS. — *ratiotinacina*//*tionis* (*cina* del.) V. 5. *suspic.* VS. — *commodum sibi nullum* W, *commodum* V, *commodum nullum esse dicat* S^1, *commodum nullum esse dicat aut parvulum* S^2, Fris. (Cic.): *commodum nullum dicat* (s. l. *fuisse*) *aut parvum*, Alb. Pω: *commodum nullum fuisse aut parvum*. Quam codicis P scripturam non genuinam sed iam additamentis vitiatam esse apparet. 6. *maius* Lambin., *magis* CM. — *esse* VS, *fuisse* PωM. — *maius* (altero l.) VS, *ma*//*ius* P, *magis* ω, add. S: *esse*, quod rec. K. 7. *nequaquam fuerit* Alb. 534, 12 VPω, *nequaquam* S. 8. ////////////*magni*////////////*tudo* V, *magnitudo* Alb. PSω. — *aut* (punctis del.) S. 9. *quo*(*d* s. l. add.) V. — *subeat comparanda* W, *subeatur comparandum* Alb. VP^1 (*comparandi* P^2), *subeatur comparanda* S^1ω, *subeatur sit comparanda* S^2 Lugd. Emmeranus. 11. *eum*] *reum* Schuetz. — *id esse*] *idest* VS. 13. *quamque* VS. 14. *tantae esse stultitiae* VS Frising. 15. *hic* V^1S^1, *hoc* V^2S^2, *id* Pω. 16. *illud*] *illuc* in mrg. V (*illud* in contextu). — *eum* K, om. VP^1S^1, *hunc* P^2S^2ω. — *quid*] *quod* V^2S^2. — *aequius utiliusve* W, *eius iuris* VSP^1, nisi quod in hoc voculae *eius* prima littera erasa est, *huius iuris* P^2, *rei* K, qui de codicum scriptura mirum in modum erravit. 17. *et id* VSP^1, *sed id* P^2, *sed et id* ω. 18. *Qui si* W, *quia si* VS, *quod si* Pω.

modum autem accusator, cum ab aliis culpam demovebit, defensoris locis utetur, sic eis locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, cum in alios ab se crimen volet transferre.

IX. Ex persona autem coniectura capietur, si eae res, quae personis attributae sunt, diligenter considerabuntur, quas omnes in primo libro exposuimus. Nam et de nomine nonnumquam aliquid suspitionis nascitur; — nomen autem cum dicimus, cognomen quoque intellegatur oportet; de hominis enim certo et proprio vocabulo agitur; — ut si dicamus idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit, aut si ea re hominibus Graecis [inperitis] verba dederit, quod Clodius aut Caecilius aut Mutius vocaretur; 29. et de natura licet aliquantum ducere suspitionis. Omnia enim haec, vir an mulier, huius an illius civitatis sit, quibus sit maioribus, quibus consanguineis, qua aetate, quo animo, quo corpore, quae naturae sunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex victu multae trahuntur suspitiones, cum quemadmodum et apud quos et a quibus educatus et eruditus sit, quaeritur et quibuscum vivat, qua ratione vitae, quo more domestico vivat. 30. Et ex fortuna saepe argumentatio nascitur, cum servus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, privatus an in potestate sit aut fuerit aut futurus sit, consideratur; aut denique aliquid eorum quaeritur, quae fortunae esse attributa intelleguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit, quo in genere est virtus, scientia et quae contraria sunt, res ipsa causa posita docebit, ecquid hic

---

1. *dimov.* S Fris. 2. *his* C. — *qui*] *que* V. 4. *ex persona ... capietur* M. 5. *adtr.* VS. 7. *dicimus* $P^2\omega$, *dicemus* P^1VS. 8. *intelligatur* S. — *enim* (*e* in ras.) V, verba *de hominis ... agitur* expunxit Schuetz, ut emblema ex I 34 consarcinatum. 9. *calidum* VS, cf. Quint. I 6, 19. 10. *ea re* P^2S^2, *ea rem* P^1, *eam rem* VS^1 (in hoc *m* erasa), *ob eam rem* ω. 11. *greci* P^2. — *inperitis* incl. K. — *dederint* P^2, *dedisse* ω. — *cecilius* V. 12. *dicere* P. 13. *suspiciones* VS. 14. *quibus sit consanguineis quibus maioribus* K ex paucis ω, sed cf. p. 34, 3 Alb. 537. 15. *adtributae* (*e* in ras.) V, *adtributa* S. 17. *suspiciones* S. — *apud quos*, cf. p. 34, 11. 18. *quaeritur* om. S. — *quibus convivat* V. 21. *nobilis*] *nobis* V^1. — *gnobilis* (*i* sup. *g* add.) V. 23. *furtunae* V. — *adtr.* VS. 24. *constati* (*n* s. l. add.) S. 26. *contrariae* VS. — *ecquid* V, *et quid* PS.

quoque locus suspitionis ostendat. Nam adfectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor, iracundia, molestia, propterea quod et ipsorum vis intellegitur et, quae res harum aliquam rem consequatur, facile cognitu est. **31.** Studium autem quoniam animi est adsidua et vehementer aliquam ad rem adplicata magna cum voluptate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, cum res ipsa desiderabit in causa. Item ex consilio sumetur aliquid suspitionis; nam consilium est aliquid faciendi non faciendive excogitata ratio. Iam facta et casus et orationes, quae sunt omnia, ut in confirmationis praeceptis dictum est, in tria tempora distributa, facile erit videre, ecquid adferant ad confirmandam coniecturam suspitionis.

X. **32.** Ac personis quidem res haec sunt attributae, ex quibus omnibus unum in locum coactis accusatoris erit inprobatione hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi etiam animus eius, qui insimulatur, in eam suspitionem adducitur, ut ab tali culpa non videatur abhorruisse. Ut enim animum alicuius inprobare nihil attinet, cum causa, quare peccaret, non intercessit, sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestae rationi adfinis ostenditur. Quare vitam eius, quem arguet, ex ante factis accusator inprobare debebit et ostendere,

---

1. *suspicionis* S, *suspionis* V. — *affectionis quidem ratio* Alb. VSP^2 (*ratio* om. P^1), *adfectiones quidem* K. 2. *solent* K. 3. *ipsorum* CM, *ipsarum* K ex paucis ω. — *intellegit* V^1. — *et quae res ... consequatur* M. — *et*] *ut* V. 4. *arum* (sup. *a* add. *h*) V. — *aliqua* V. — *rem* contra CM om. K. — *consequatur* MVSP^1, *consequantur* P^2, *consequuntur* ω. — *facile* Voss. I K, *faciles* C. — *cognitu est* K (cf. praef.), *cognitu sunt* C. Fort. scr.: *propterea quod et ipsa harum rerum vis intellegitur et quae earum aliquam consequantur, facile est cognitu.* 5. *quoniam animi* W, cf. 35, 7, *quod* VS, *quoniam* Pω. — *assidua* S. — *vehemens* Pω, sed cf. p. 35, 7. — *aliqua* VP^1. 6. *voluntate* ω. 7. *cum* W, *eiusque* V, *quam* PSω, *prout* Alb. 8. *suspicionis* VS. 11. *et quid* PSV^2, *et quod* V^1. — *aff.* VS. 12. *suspicionis* VS. 13. *haec* W, *hae* CM, *heae* Vict. Fris., *eae* ω, cf. 35, 14. 15. *hominis* V^{1}P, *omnibus* V^{2}S. — *nam in causa facta* P^1. — *habet* VSωℜ, *habebit* P, quod rec. Baiter et K. 16. *nisi etiam* W, *nisi eam*/// V, *nisi* PSω. — *adducitur* VP^1, *adducatur* SP^2, *adducetur* Baiter ex paucis ω. 17. *ut ab* W, *ut in* C, *ut a* ω. Cf. p. 90, 13; 43, 18; 88, 3. — *tali culpa* C. K scr.: *ut in tali re a culpa.* 18. *peccare* P^1, *peccarit* P^{2}ω, quod rec. Baiter. 19. *animis* V^1. 20. *aff.* VS. 21. *arguet* W, *arguit* C. — *accusato(r* s. l. add. et *or* corr.) V.

si quo in pari ante peccato convictus sit; si id non poterit, si quam in similem ante suspitionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere eiusdem modi aliqua causa commotum peccasse aut in aeque magna re aut in maiore aut in minore, ut si, qui aliquem pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re eius aliquod factum avarum. 33. Item in omni causa naturam aut victum aut studium aut fortunam aut aliquid eorum, quae personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adiungere atque ex dispari quoque genere, si ex pari sumendi facultas non erit, inprobare animum adversarii oportebit; si avaritia inductum arguas fecisse, et avarum eum, quem accuses, demonstrare non possis, aliis adfinem vitiis esse doceas et ex ea re non esse mirandum, qui in illa iam re turpis aut cupidus aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse. Quantum de honestate et auctoritate eius, qui arguitur, detractum est, tantundem de facultate etiam totius est defensionis deminutum. 34. Si nulli adfinis poterit vitio reus ante admisso demonstrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere; nam eum ante celasse, nunc manifesto teneri; quare non oportere hanc rem ex superiore vita spectari, sed superiorem vitam ex hac re inprobari, et aut potestatem ante peccandi non fuisse aut causam; aut, si haec dici non poterunt,

---

1. *potuerit* S. 3. *aliquo in* ω, *in quo in* P^1, *in quo* V, *cum quo in* (punctis his ceterisque usque ad *in causa* deletis) S. — *eiusdem modi* PV (post *modi* maior rasura est), *eius modi* (punctis del.) S Frising. — *aliqua causa* W, *in causa* V^1, *in causa aliqua* V^2S, *causa aliqua* P^2ωK. — *commotus* V. 4. *peccasse dicendum* S^2. — *magnā rem* V. 5. *qui aliquem* W, *quidem* VSP corr., *quem* P^1(?)ω, *quem quid* K. 7. *omni* in ras. V. 8. *adtr.* VS. 9. *dicet* ω, *dicetur* P, *dicitur* VS Frising., sed in V *dicitur* in fine paginae m. 2 additum videtur. — *ex eispari* V, *ex impari* (*im* in ras.) S, *ex dispari* Fris. et Pω. 10. *genere*] add. V: *a culparum*, PSω: *culparum*, del. W. 11. *ut si* ω (pauci), coniectura sane probabilis. — *avaria* V^1. 13. *aff.* S. 14. *quin in* V^2. — *illa iam re* W, *illam rem* V, *illa re* PSω. 15. *in* s. l. V. — *delinquisse* V. — *quantum* VS, *quantum enim* PωK (*enim* s. l. Frising.). 16. *tractum* VS Fris. m. 1, quare in P quoque primitus idem fuisse suspicor. — *tantundum* V^1. 17. *etiam* W, *eius* V, *ei* S, om. Pω. K rec. *ei*, quod si voluisset Cicero certo dixisset: *tantundem ei*. — *dim.* S. — *aff.* VS. 18. *ante*] *adte* V^1. 21. *hanc rem* s. l. V. 23. *poterunt* ωP^2S^2, *poterant* VP^1S^1.

dicendum erit illud extremum, non esse mirum, si nunc primum deliquerit, nam necesse esse eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Sin vita ante acta ignorabitur, hoc loco praeterito et, cur praetereatur, demonstrato argumentis accusationem statim confirmare oportebit.

XI. 35. Defensor autem primum, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua eius ex vita communi officia; quod genus in parentes, cognatos, amicos, adfines, necessarios; etiam quae magis rara et eximia sunt, si ab eo cum magno aliquid labore aut periculo aut utraque re, cum necesse non esset, officii causa aut in rem publicam aut in parentes aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, factum est; dicet denique se nihil deliquisse, nulla cupiditate inpeditum ab officio recessisse. Quod eo confirmatius erit, si, cum potestas inpune aliquid faciendi minus honeste fuisse dicetur, voluntas a faciendo demonstrabitur afuisse. 36. Hoc autem ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer ante fuisse demonstrabitur, ut si, cum avaritiae causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniae cupidus fuisse doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, iuncta conquestioni perquam miserum facinus esse

---

1. *erat* S^1. 2. *deṛeliquerit* (*re* punctis del.) S. — *necesse est* C, idque videlicet natum est ex: *necessesse* (*necessee*), ut, qui antiquas amet formas venari, conicere possit: *necessum esse,* cf. Fleckeiseni Ann. 93, 854. Sievers in Mus. Rhen. XXVIII 580. — *ulit* (*e* sup. *u* add.) V. 3. *sin vita ante ign.* V^1, cf. Nägelsbach's Lat. Stilistik § 75, Usener in Fleckeiseni Ann. 117, 73 sq. Sed cf. § 36. 37. 6. *Defensor ... demonstrare* M. 7. *qui*] *quae* V. 8. *ostendit* VS Fris. — *ex vita communi* W, *et in communia* V, [*nota*] *et in communia* P^1, nam *nota* non primitus scriptum esse potest, *et communia* S^1, *nota et communia* S^2 (ex Vict. 265, 42), *nota communia* P^2, *nota et non communia* K. 9. *aff.* VS. 10. *magnis* S^1. — *rara* s. l. V^2, om. V^1. — *aliquo* Pω. 12. *puplicam* V. 13. *factum est; dicet* W, *factum esse dicet* C. — *denique* VS^1, *deinde* $PS^2\omega$. Mihi ex Vict. 266, 5 hunc in modum scribendum videtur: *dicetque se nihil umquam deliquisse* etc. 16. *a faciendo* VS Fris., *ei faciendi* P, *ea faciendi* ω, *ei a faciendo* K. — *a fuisse* VP^1S^1, *abfuisse* P^2S^2. 17. *erit* om. S^1, *esse* S^2. 18. *arguitur* VS Fris. 19. *avariae* V. — *fecisse* PS^2, *fuisse* VS^1 Fris. 20. *inducerẹtur* (*re* del.) S. 21. *perquam ... indignum cum* p. 90, 1 Gruter, *perquam ... indignum demonstrabitur* (*demontrab.* V) *ut cum* C, *perquam ... ind. demonstrabitur, cum* Lambin.

et indignum, cum animus in vita fuerit omni a vitiis remotissimus, eam causam putare, quae homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse inpellere; aut: iniquum esse et optimo cuique perniciosissimum non vitam honeste actam tali in tempore quam plurimum prodesse, sed subita ex criminatione, quae confingi quamvis false possit, non ex ante acta vita, quae neque ad tempus fingi neque ullo modo mutari possit, facere iudicium. 37. Sin autem in ante acta vita aliquae turpitudines erunt, aut falso venisse in eam existimationem dicetur ex aliquorum invidia aut obtrectatione aut falsa opinione, aut inprudentiae aut alicui non malitiosae animi adfectioni attribuentur aut dissimili in genere esse vitiorum, ut animus non omnino integer, sed ab tali culpa remotus esse videatur. At si nullo modo vitae turpitudo aut infamia leniri poterit oratione, negare oportebit attinere de vita eius et de moribus quaerere, sed de eo crimine, quo de arguatur; quare ante factis omissis illud, quod instet, agi oportere.

XII. 38. Ex facto autem ipso suspitiones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus pertemptabitur; atque eae suspitiones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur. Ex negotio duci

---

1. *omni in vita fuerit* ω. 4. *aut* incl. K. 6. *false* VP¹, *falso* (*o* in ras.) S, *facile* S²ωℜ. 8. *mutari* PωS², *mutare* VS¹. 10. *dicetur* Schuetz, *dicentur et* VPS¹, *dicetur et* S²ω. 11. *inprudentiae* V¹, add. in inferiore mrg. V²P: *necessitudine et persuasione aduliscentiae,* Sω: *necessitudini* (*ne* S¹) *persuasioni* (*ne* S¹) *adulescentiae,* del. W ut emblema ex Vict. p. 266, 16 desumptum, cuius rei signo etiam nunc relinquuntur ablativorum formae. 12. *affectioni* PSV², *affectione* V¹. — *in genere* VPω, *generi* SK, sed cf. Vict. 266: *vel in dissimili genere vitiorum esse doceantur,* ut aliquod verbum excidisse videatur, veluti: *aut docebuntur esse.* Nunc satis habui *esse* addere. 13. *tali ab* AT. 14. *At* W, *aut* V, *ac* PSω, incl. K. — *lenire* VP¹S¹. 15. *oportebit attinere* W, *oportebat* V¹, *oportebit* V²SPω. Hoc recepto K ex Baiteri coniectura paulo post scripsit: *quaerere se,* sed hoc quaerere iudicis potius quam defensoris est officium. 16. *quaerere* C, *queri* (*i* ex *e*) S², *quaeri* ω. — *quo de*] *quod?* 17. ///////*omissis* (*onomissis?*) V. — *instet* ω, *instetit* V, *institit* P¹, *instet id* P², *instat* S. Fortasse: *iam agi.* 18. *Ex ... ducentur* M. — *suspic.* S. — *duc.tur* (*en* s. l. add.) V. 19. *amministratio* V. — *ex ipsius omnis partibus* Δ, *ex omnibus* (s. l. *ipsius* add.) S. 20. *hae* ω. — *suspic.* S. — *partim* ante *communiter* om. V. 21. *dici* V.

poterunt, si eas res, quae negotiis attributae sunt, diligenter considerabimus. Ex eis igitur in hanc constitutionem convenire videntur genera earum omnia, partes generum pleraeque. 39. Videre igitur primum oportebit, quae sint continentia cum ipso negotio, hoc est, quae ab re separari non possint. Quo in loco satis erit diligenter considerasse, quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata et faciendi facultas quaesita videatur; quid in ipsa re gerenda, quid postea consecutum sit. Deinde ipsius est negotii gestio pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quae negotio sunt attributae, secundo in loco nobis est expositum. 40. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas; quorum unius cuiusque vis diligenter in confirmationis praeceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse aut ne eadem iterum dixisse videamur, breviter iniciemus, quid quaque in parte considerari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia et potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit aut quibus sine omnino confici non potest, consideranda est. 41. Deinde videndum est, quid adiunctum sit negotio, hoc est, quid maius, quid minus, quid aeque magnum sit, quid simile; ex quibus coniectura quaedam ducitur, si, quemadmodum res maiores minores, aeque magnae similes agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus quoque videndus erit, hoc est, quid ex quaque re soleat evenire, ut metus laetitia, titubatio audacia. 42. Quarta autem pars

---

1. *adtr.* VS. 2. *his* C. — *igitur* VP, *ergo* S Fris. 3. *earum* Schuetz, *eorum* C. — *partes generum* om. V^1. — *pleraeque* corr. ex *pleraque* V. 4. *oportebit primum* S Fris. — *continentiae* P. 5. *separi(ra* s. l. add.) V. — *possunt* P^1. 6. *considerare* ω, cf. Madvigii Opusc. II 119. 7. *perficiundi* VP^2S. — *faciundi* C. 8. *deinde* $P^2S^2ω$, *denique* VP^1S^1, cf. v. 19. 10. *adtr.* VS. 11. *hoc ... facultas* M. — *ergo* C, *enim* M. 12. *ius* P. — *in* om. P^1. 13. *ammonuisse* SV (in hoc *on* s. l.). 14. *iniciemus* P^2, *inieciemus* P^1, *iniecimus* S^1 Fris. m. 1, om. in maiore ras. V, *demonstrabimus* $S^2P^2ω$ Fris. m. 2. 15. *oportunitas* VS. 16. *facien(dum* s. l. add.) V. 17. *propter*] *per* S^2. 19. *denique* VS^1. 22. *minores* om. P. — *similesque* Pω. 24. *videdus* (*n* s. l. add.) V. — *quid ex quaque* P^1, *quod ex quaque* V, *quid ex qua* S^1, *quid ex una quaque* $P^2S^2ω$. — *evenire*] Add. C: *magnopere considerandum est*, del. cum Ernestio Schuetz, Baiter, Kayser. 25. *audacia* W, *avaritia* C, *apparatio* K, cuius hic nullus

erat ex eis rebus, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio. In ea quaeruntur ea, quae gestum negotium confestim aut intervallo consequuntur. In qua videbimus, ecqua consuetudo sit, ecqua lex, ecqua pactio, ecquod eius rei artificium aut usus aut exercitatio, hominum aut adprobatio aut offensio; ex quibus nonnumquam elicitur aliquid suspitionis.

XIII. Sunt autem aliae suspitiones, quae communiter et ex negotiorum et ex personarum attributionibus sumuntur. Nam et ex fortuna et ex natura et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio et ex habitu animi aut corporis pleraque pertinent ad eas[dem] res, quae rem credibilem aut incredibilem facere possunt et cum facti suspitione iunguntur. 43. Maxime enim quaerere oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri, deinde ecquo ab alio potuerit, deinde facultas, de qua ante diximus, deinde utrum id facinus sit, quod paenitere fuerit necesse, cum spem celandi non haberet; deinde necessitudo, num qua necesse fuerit id aut fieri aut ita fieri, quaeritur. Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut illa in causa, quam exposuimus: Ante rem, quod in itinere se tam familiariter adplicaverit, quod sermonis causam quaesierit, quod simul diverterit, dein cenarit. In re nox, somnus. Post rem,

---

certe est locus. Requiritur verbum, quod notionem habeat titubationi contrariam. 1. *erat* Pω, *restat* VS. — *his* C. — *rebus* om. C, add. K. — *negotiis quas* VS Fris. — *adtr.* VS. 3. *ex intervallo* P^2S^3. — *consecuntur* V, *consequuntur* S. — *et qua* (ter) P, *et quę* VS (ter in S). 4. *et qua lex* V. — *et quae pactio* V. — *pactio*] *actio* $P^2ω$. — *et quod* C. 5. *approb.* S. 6. *non* om. V. — *elicitur* PS^3, *elegitur* VS^1, fort. *conligitur*. 7. *Sunt... sumuntur* M — *aliae* $ΔP^1$, *et aliae* VS Fris. Vict., *aliquae* $P^2ω$. — *suspiciones* VS. 8. *adtr.* VS, *adtributione* V. 9. *furtuna* V. 11. *easdem*] *eas* Δ. — *aut incredibilem* om. P^1K, tuetur VSM. 12. *suspic.* S. 13. *quaeri* Pω. — *in hanc* P^1. 14. *et quo ab alio* P, *haec quo ab alio* V^1, *haec quo ab aliquo* S^1, *haec* (*hoc* $S^2ω$) *quo modo ab aliquo* V^2S^2AT. 15. *utrum*] *ut non* VS^1M. 16. *cum* W, *quod* C, *item quod* $P^2ω$. Cf. Philologus XXXVIII 84 sq. — *num qua* W, *in qua* C. — *num necesse* $S^2Pω$. 18. *pertinent* (*n* del.) S. — *adtr.* V. — *ut illa in causa* W, *verum in causa* (*ea* post *in* s. l. add.) VS^1, *ut in ea causa* $S^2Pω$. 19. *ante rem erit* ω, *erit* incl. Baiter. — *itire* (*ne* s. l. add.) V. — *tam familiariter se* Priscian IX 32. 20. *appl.* S. 21. *diverterit* $S^2ω$, *diverteret* P^1, *deverterit* VS^1P^2. — *dein cenarit* SAT, //////*cenarit* P, *dece*//*naret* V, *cenarit* ωM. — *somnum* C Alb. 539, 1.

quod solus exierit, quod illum tam familiarem tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit. 44. Rursum considerare oportebit, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita [temere], ut non veri simile sit quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri vel a fortuna administrari. Nam saepe, si pecuniae adiumenta adiutores desunt, facultas fuisse faciendi non videtur. Hoc modo si diligenter attendemus, apta inter se esse intellegemus haec, quae negotiis, et illa, quae personis sunt attributa.

Hic neque facile est neque etiam necessarium distinguere ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem et quomodo defensorem tractare oporteat. Non est necessarium, propterea quod causa posita quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, si modo quandam in commune mediocrem intellegentiam conferent; 45. non facile autem, quod et infinitum est tot de rebus utramque in partem singillatim de una quaque explicare et alias aliter haec in utram-

---

1. *exierit* Mω, *exiret* C. — *tam familiarem* om. Δ^1, *iam familiarem* K, add. $P^2\omega$: *comitatum*, alii *comitem*, incl. Baiter. 2. *cruentum* CM, *cruentatum* Orelli. — *habuerit*] Add. Pω: *horum pars ad consilium pertinet. Quaeritur enim*, om. VS, *quaeritur enim* om. P (*quaeritur* habet P^2, habet M. Inde lacunam antiquissimam esse apparet. — *Rursum eonsiderare oportebit utrum* W, *rursum utrum* VS, *utrum* Pω. 3. *utrum diligenter ratio faciendi videatur habita et excogitata ut non verisimile sit ... accessisse in qua re quaeretur num alio modo ... vel a fortuna* M. 4. *temere* del. Schuetz K, cuius in ed. errore *ita temere* inclusa sunt, quod tamen si M sequare praeferendum videtur. 5. *acessisse* V^1. — *in quo quaeritur* incl. K. 6. *nam* V^1. — *vel*] *partim* VS^1. — *furtuna* V. 7. *si adiumenta* $P^2\omega$ ex M 268, 14. — *adiutoris* $P^1\Delta^2$. — *desunt* ωM, *desint* C. 8. *facultas fuisse* habet VS, non ut K tradidit scripsitque: *fuisse fac.* — *fuisse* om. P. — *faciundi* VS. — *attendemus* Schuetz, *attendamus* VS, *attendimus* P. 9. *intellegemus* Schuetz K, *intellegimus* C. 10. *adtr.* V. 11. *hic facile* V^1, *hoc non facile* V^2 (m. rec.). — *est*] *esse* P. — *neque etiam* W, *neque enim* V, *neque* PSω. — *necessarium est* V. 12. *quicque* V^1. 13. *non necessarium* Pω. 14. *quod* s. l. V. — *eos ... conferent* (16) incl. K in contextu, *eos ... sed* incl. K in praefatione. 15. *qui*] *quo* VS^1. — *si* W, *sed* C, hic add. $P^2\omega$: *ad ea quae praecepta sunt comparationis*, seclusit Ernesti. 16. *commune* V^1. — *conferent* VS^1P, *conferant* S^2K. 17. *in infinitum* V. 19. *queque* (*a* sup. *e* S. — *haec* V (*c* del.), *hae* S.

que partem causae solent convenire. XIV. Quare considerare haec, quae exposuimus, oportebit. Facilius autem ad inventionem animus incumbet, si gesti negotii et suam et adversarii narrationem saepe et diligenter pertractabit et, quod quaeque pars suspitionis habebit, eliciens considerabit, quare, quo consilio, qua spe perficiendi quidque factum sit; hoc cur modo potius quam illo, cur ab hoc potius quam ab illo, cur nullo adiutore aut cur hoc, cur nemo sit conscius aut cur sit aut cur hic sit, cur hoc ante factum sit, cur hoc in ipso negotio, cur hoc post negotium, aut factumne de industria an rem ipsam consecutum sit, constetne oratio aut cum re aut ipsa secum, hoc huiusne rei sit signum an illius, an et huius et illius, et utrius potius, quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. 46. Cum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium conservati loci procedent, de quibus ante dictum est; et tum ex singulis, tum ex coniunctis argumenta certa nascentur, quorum argumentorum pars probabili, pars necessario in genere versabitur. Accedunt autem saepe ad coniecturam quaestiones, testimonia, rumores; quae omnia uterque torquere ad suae causae commodum debebit. Nam et ex quaestione suspitiones et ex testimonio et ex rumore aliquo pari ratione ut ex causa et ex persona et ex facto duci oportebit.

47. Quare nobis et ei videntur errare, qui hoc genus suspi-

---

3. *incumbet* W, *incidit* VP¹SAT Fris., *incedet* P²ω, *intento ad inventionem animo incident* K et Schuetz. — *gestione* (*one* del.) S. 4. *quid* P²ω. — *suspicionis* V. 6. *perficiundi* VS. — *quicque* V, *quicquid* S. — *hoc cur* C, *cur hoc* ω ex Vict. 268, 36. 8. *cur* ante *hic* om. P¹. — *ante*] *omne* VS¹P¹. 9. *factum sit*] Add. ω ex Vict. 268, 38: *cur hoc ante factum non sit*, om. VS¹P¹; add. P²S²: *aut* (om. S) *cur hoc ante non factum sit*, incl. K. — *negotiom* S¹. — *aut* C, *cur* ℜ 269, 1. 10. *factumne* W, *factum* C. — *an* W, *aut* C, *aut quid* P². 15. *coacervati?* Etenim ut milites ita loci tamquam agmine procedent. 17. *probabilis* V. 18. *accedunt ... rumores* M. — *conie|||cturam* V, *coniuncturam* Δ. 19. *tormenta quaestiones* S (interpretamentum illud ex Victorino sumptum est). — *rumores quae*] *rumoresque* V, in quo *rumo* extra lineam in initio paginae est. — *quae omnia* ℜ Ernesti, *quae contra omnia* C. — *uterque*] add. C: *simili via praeceptorum*, del. W ex ℜ 269, 25 conp. cum 270, 23. 20. *Nam ... oportebit* (22) M. 21. *suspiciones* VS. 22. *ut ex*] *et ex* VS. 23. *et ei*] *et si|||* V¹, ortum videlicet ex ETEII, *et sic* V² mrg., *et hi* in ras. P, om. SAT. — *suspic.* VS.

tionum artificii non putant indigere, et ei, qui aliter hoc de genere ac de omni coniectura praecipiendum putant. Omnis enim eisdem ex locis coniectura sumenda est. Nam et eius, qui in quaestione aliquid dixerit, et eius, qui in testimonio, et ipsius rumoris causa et veritas ex eisdem attributionibus reperietur.

Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae solum, quae dicitur, ex ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit; pars autem est pervagatior et aut in omnes eiusdem generis aut in plerasque causas adcommodata. XV. 48. Haec ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis aut certae rei quandam continet amplificationem, ut si quis hoc velit ostendere, eum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum, quo loco nisi perorata causa non est utendum; aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi, ut suspitionibus credi oportere, et contra non oportere. Ac pars locorum communium per indignationem aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est, pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. 49. Distinguitur autem oratio atque inlustratur maxime raro inducendis locis communibus et

---

1. *artifici* P^1, *artifieio*/// (*o* in ras.) V, *artificio* S. Ego in V *artificis* scriptum fuisse suspicor. — *et hii* V^2P^1S, *et hi* P^2, *et hic* V^1. — *qui*] *quae* V^1. — *aliter ... putant* M. 2. *praecipiundum* VAT, *praecipuum* S^1. 3. *iisdem* P, *hisdem* VS. — *Nam et ... causa* (5) M. — *et ei*(*us* s. l. add.) V. 5. *hisdem* VSΔ. — *adtr.* V. — *repperietur* VSΔ. 7. *omni ... causae* M. — *omne*/// (*e* corr. in *i*) V, *omnia* Δ. — *adiuncta*//// V. 8. *ex ipsa* W, *et ipsa* C, *et ab ipsa* ω. — *ut ab ea* C, *ut ab ea in qua est* S^2ω. 9. *in omnis ... possit* M. — *commodo* V. 10. *omnis* V^1. 11. *generis eiusdem* V. 14. *quis* VS, *qui* P, sed in his quidem libris Cicero ante vocales videtur nusquam *qui*, sed semper *quis* anteponendum duxisse. — *hoc* om. S. 16. *perorata*] Add. S^2P^2ω: *et probata*, del. Schuetz. — *dubiae ... rationes* M. 17. *probabilis rationis* V^1. 18. *credi oportere et contra non oportere* W, *credi non oportere* VS^1, *credi non oportere et contra suspicionibus credi non* (*non* del. P^2) *oportere* P, itemque posteriore *non* omisso S^2 in mrg. ω, cf. II 16, 50 Vict. 270, 8, idemque 271, 10: *susp. credi non oportere aut oportere* M. 20. *aliquam ... rationem* M. 22. *indu*//*cendis* V (i. e. *induccendis*).

aliquo loco iam certioribus illis argumentis confirmato. Nam tum conceditur commune quiddam dicere, cum diligenter aliqui proprius causae locus tractatus est, et auditoris animus aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus iam dictis exsuscitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus et suavitatis et gravitatis plurimum consistit, omniaque quae inventione rerum et sententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. 50. Quare, non ut causarum, sic oratorum quoque multorum communes loci sunt. Nam nisi ab eis, qui multa iam exercitatione magnam sibi verborum et sententiarum copiam conparaverint, tractari non poterunt ornate et graviter, quemadmodum natura ipsa eorum desiderat. Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.

XVI. Nunc exponemus, in coniecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant: suspitionibus credi oportere et non oportere; rumoribus credi oportere et non oportere; testibus credi oportere et non oportere; quaestionibus credi oportere et non oportere; vitam ante actam spectari oportere et non oportere; eiusdem esse, qui in illa re peccarit, eum hoc quoque admisisse et non esse eiusdem; causam maxime spectari oportere et non oportere. Atque hi quidem et si qui eiusmodi ex proprio argumento communes loci nascentur, in contrarias partes

---

1. *aliquo* incl. Baiter. — *illis auditoribus argumentis* C, quod esse glossema ex prava Victorini explicatione (271, 15) „*certioribus illis: auditoribus scilicet*“ primus vidit Orelli. Super *argum.* in S est: *propriis.* — *confirmato* K, *confirmatis* C, cf. illum ad Cornif. p. 242. — *tum* K, *et tum* C, *tum ei* M. 2. *aliqui* VP¹S¹, *aliquis* P²S²ω. 3. *tractatum* V¹. — *et auditoris ... elocutionis* (5) M. — *aut* om. M. 4. *exsuscitatur* VP¹M, *suscitatur* S, *excitatur* P². 5. *enim* PωM, *autem* VS. 6. *omniaque quae* P², *omniaquae* VP¹, *et omnia quae* Sω, *omnia ... dignitatis* incl. K. — *in inventione* Ernesti usque ad Baiterum. — *rerum* VPS¹, *verborum* S²ω. 7. *aliquot* P¹. — *habont* V¹. 8. *sic ... sunt* M. 9. *his* C. — *qui*] *quae* P¹. — *iam* W, *in* C, del. Ern. 12. *ipsa eorum* W, *ipsorum* VPω, *eorum* S, idque rec. K. — *Atque ... non oportere* (16) M. — *dictum*] *factum* V, *dictum* (*di* in ras.) S. 14. *exponimus* Δ¹. 15. *loci communes* om. Victoriui Δ et Frising., nescio an rectius. — *suspic.* VS. 17. *credi oporte*(*re* s. l. add.) V. 19. *eiusdem esse causae* S². — *eum* W, *et* C, del. Lambin. 20. *eiusdem; causam* K, *eiusdem causa* VP¹, *eiusdem causae* SP²AT. — *spectari* K, *spectari causam* C.

diducentur. 51. Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem, et alter, per quem negat malorum misereri oportere: defensoris, per quem calumnia accusatorum cum indignatione ostenditur et per quem cum conquestione misericordia captatur. Hi et ceteri loci omnes communes ex eisdem praeceptis sumuntur, quibus ceterae argumentationes; sed illae tenuius et subtilius et acutius tractantur, hi autem gravius et ornatius et cum verbis, tum etiam sententiis excellentibus. In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur, in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo. Nunc ad aliam constitutionem transeamus.

XVII. 52. Cum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva dicitur. Eius generis exemplo nobis posita sit haec causa: C. Flaminius is, qui consul rem male gessit bello Punico secundo, cum tribunus plebis esset, invito senatu et omnino contra voluntatem omnium optimatium per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit. Arcessitur maiestatis. Intentio est: Maiestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti. Depulsio est: Non minui maiestatem. Quaestio est: Maiestatemne minuerit? Ratio: In filium enim quam habebam potestatem, ea sum usus. Rationis infirmatio: At enim, qui patria potestate, hoc est privata quadam, tribuniciam potestatem, hoc est populi potestatem infirmat, minuit maiestatem. Iudicatio est: Minuatne is maiestatem, qui in tribuniciam pote-

---

1. *diducentur* W, *deducentur* M, *diducuntur* VSK, *deducuntur* $P^1\omega$, *deducantur* P^2. — *certus ... atrocitatem* M. 5. *hisdem* VS, *iisdem* P. 7. *tenuus* (*i* sup. *uu* add.) V. 9. *ut id ... oportet* M. 11. *nunc ... transeamus* incl. K. Sed in his libris eiusdem modi transitionis formula nusquam fere abesse videtur. 12. *Cum est ... dicitur* M. — *qua vis* P^1. 14. *C* om. VP^2S^1, s. l. S^2, *G* P^2M. Mihi *C* vocabuli *causa* compendio hausta videtur. — *qui* s. l. V. 15. *rem* VPS^1, *rem p.* S^2, *rem publicam* Mω. — *male* s. l. V. — *plebis* s. l. V. 16. *optimatium* VSAT, *optimatum* Pω. Cf. Haase ad Reisigii Lectt. p. 94. 17. *acerariam* V. 18. *diduxit* V^2. 19. *reus maiestatis* SAT. — *minusti* (sup. *u* add. *i*) V. 20. *deduxisti de templo* SA. 23. *hoc est pr. quadam* incl. K. — *quandam* VS. 24. *hoc est pop. potestatem* om. P^1, incl. K. — *minui(t* s. l. add.) V, *minuit is* $P^2\omega$. 25. *qui in tribuniciam potestatem* om. V^1, s. l. add. V^2.

statem patria potestate utatur? Ad hanc iudicationem argumentationes omnes adferre oportebit.

53. Ac ne qui forte arbitretur nos non intellegere aliam quoque incidere constitutionem in hanc causam, eam nos partem solam sumimus, in quam praecepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quivis omni in causa, si diligenter attendet, omnes videbit constitutiones et earum partes et controversias, si quae forte in eas incident. Nam de omnibus praescribemus. Primus ergo accusatoris locus est eius nominis, cuius de vi quaeritur, brevis et aperta et ex opinione hominum definitio, hoc modo: Maiestatem minuere est de dignitate aut amplitudine aut potestate populi aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. Hoc sic breviter expositum pluribus verbis est et rationibus confirmandum et ita esse, ut discripseris, ostendendum. Postea ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit et ex eo, quod ostenderis esse verbi causa maiestatem minuere, docere adversarium maiestatem minuisse et hunc totum locum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas aut indignitas aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Post erit infirmanda adversariorum discriptio. 54. Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur, cum quemadmodum et quibus in rebus homines in consuetudine scribendi aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Item infirmabitur, si turpis aut inutilis esse [ostendetur] eius discriptionis adprobatio et quae incommoda consecutura sint, ea si concessa sit, ostendetur; id autem ex honestatis et ex utilitàtis partibus sumetur, de quibus in deliberationis praeceptis exponemus. Et si cum

---

1. *Ad hanc . . . oportebit* M. 2. *adferre* M, *afferre* VS, *afferri* Pω. 3. *ne qui*] *neque* V. 6. *quavis* P^1, *quamvis* S^1, *quamvis*/// V. 7. *adtendet* V, *adtendat* S. 8. *et controversias* incl. K, tuetur 𝔐 274, 9 et 272, 41. — *incident* Pω, *inciderit* V, *inciderint* S𝔐 273, 4. 9. *perscribemus* Ernesti. 10. *et* (posterius) om. V, sup. l. S, sed cf. § 55. 14. *descr.* C. 15. *ostendimus* V. 17. *minure* (*e* sup. *u* add.) V. 17/18. *maiestatem* s. l. V. 21. *descr.* C. 25. *ostenditur* VSP^1, incl. W. — *discr.* V^2, *descr.* V^1S. 26. *et si* $P^2S^2\omega$. — *s*//*int* S. — *ea si concessa sit* W, *eis concessis* VS^1, *eo concesso* $S^2P\omega$, *ea concessa* Lambin. 27. *ostendetur* incl. K. — *id autem . . . exponemus* incl. K, sed cf. 𝔐 273, 12.

definitione nostra adversariorum definitionem conferemus et nostram veram, honestam, utilem esse demonstrabimus, illorum contra. 55. Quaeremus autem res aut maiore aut minore aut pari in negotio similes, ex quibus adfirmetur nostra discriptio. XVIII. Iam si res plures erunt definiendae, ut si quaeratur, fur sit an sacrilegus, qui vasa ex privato sacra subripuerit, erit utendum pluribus definitionibus; deinde simili erit ratione causa tractanda. Locus autem communis in eius malitiam, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi adrogare conatus et faciat, quod velit, et id, quod fecerit, quo velit nomine appellet. [Deinde] defensoris primus locus est item nominis brevis et aperta et ex opinione hominum discriptio, hoc modo: Maiestatem minuere est aliquid de re publica, cum potestatem non habeas, administrare. Deinde huius confirmatio; postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas aut honestas adaugetur. 56. Deinde sequitur adversariorum definitionis reprehensio, quae eisdem ex locis omnibus, quos accusatori praescripsimus, conficitur; et cetera post eadem praeter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defensoris, per quem indignabitur accusatorem sui periculi causa non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniae ac-

---

1. *dif.* (bis) V². 3. *contra* in ras. S. — *autem*] *h'* VS, cf. E. Wunder, Variae Lectiones p. XXXVII sq. et supra 43, 6. — *maiori ... minori* C, *aut minore* ut in Ern. et Schuetziana sic in Baiteri editione errore intercidit. 4. *aff.* VS. — *descr.* C. 5. *erunt*] *er'////* V. — *for* (*v* sup. *o*) V. 6. *sit* //*tan* (*t* altera del.) V. 7. *simili erit* W, *simile* V¹, *simili* V²PSM. Syllaba *rit* sequenti syllaba *rat* absorpta videtur. 9. *arrog.* VS. — *conatus et* W, *conatur et* VS¹ (*tur* in ras. V), *conatur ut et* S², *conetur ut et* ω, *commutet* P¹, *contendit* P². Ex P¹ coniecit K: *conetur, cum et,* sed cf. v. 21. 11. *defensoris* K, *deinde def.* C, *def. deinde* M. Fortasse *deinde* ex *idemque* ortum et reliqua verba *item ... discr.* pro additamento habenda sunt. 12. *descr.* C. 14. *ministrare* (*ad* s. l. add.) V. — *confirmatio*] Add. C: *similibus et exemplis et rationibus,* quae verba quomodo ex scholis in contextum defluxerint, facile conligetur, si Vict. 274, 36 et 275, 19 conparaveris. 15. *dif.* V². — *per quem ... adaugetur* M. 16. *deinde*] Malim *inde* aut *denique,* cf. Vict. 275, 1. — *sequitur* VS, *sequatur* P, *sequetur* ω. 17. *dif.* V, *diff.* S. — *hisdem* V, *isdem* S, *iisdem* Pω. 18. *conficiatur* P¹. 20. *defensoris* K (in praef.), *defensoris is* C, cf. ℜ 275, 5. 21. *commutari* VS¹. 22. *qui aut*] *aut qui* VS.

cusatorum demonstrandae aut misericordiae captandae aut facti indignandi aut a misericordia deterrendi causa sumuntur, ex periculi magnitudine, non ex causae genere ducuntur. Quare non in omnem causam, sed in omne causae genus incidunt. Eorum mentionem in coniecturali constitutione fecimus; inductione autem, cum causa postulabit, utemur.

XIX. 57. Cum autem actio translationis aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua poena, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio translativa appellatur. Eius nobis exempla permulta opus sint, si singula translationum genera quaeramus; sed quia ratio praeceptorum similis est, exemplorum multitudine supersedendum est. Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes. Nam et praetoris exceptionibus multae excluduntur actiones et ita ius civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non quemadmodum oportet egerit. 58. Quare in iure plerumque versantur. Ibi enim et exceptiones postulantur et agendi potestas datur et omnis conceptio privatorum iudiciorum constituitur. In ipsis autem iudiciis rarius incidunt et tamen, si quando incidunt, eiusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis, confirmentur autem adsumpta alia aliqua constitutione: ut in quodam iudicio, cum venefici cuiusdam nomen esset delatum et, quia parricidii causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum, cum in accusatione ipsa alia quaedam crimina testibus et argumentis confirmarentur, parricidii autem mentio solum facta esset,

---

3. *dicuntur* V. 5. *eorum ... utemur* incl. K contra Vict. auctoritatem. — *coniecturalem constitutionem* P. 6. *autem*] *h'* V, om. S^1, ut ista lectio admodum incerta videatur. 9. *quos*] *uos* V. 11. *sint* V^1PS, *sunt* V^2 in mrg. ω. 13. *multitudine* V^1P, *multitudini* V^2S. 14. *incident* S^1. 15. *praetoris* PSV^2, *pecoris* V^1. — *exduduntur* V. 16. *ius* s. l. V. — *ut a causa* V^2. 18. *et agendi* W, *et agendi et quonam modo agendi* VS (in hoc *et agendi* punctis del.), *et quonam modo agendi* PAT, *et quodam modo agendi* ωK. Cf. Leutschii Philologus XXXVIII 90. 19. *iudiciorum causa* P^1M. 21. *eius modo* S^1. 22. *ass.* VS. 23. *veneficii* V. — *causa cuiusdam* P^1. 24. *suscripta* VS, quae erat pronuntiatio scripturae *subscripta*. — *ex ordine* V. 25. *cum* om. P^1VS. — *ipsa* W, *autem* VSAT, om. Pω. 26. *autem* incl. K.

defensor in hoc ipso multum poterat et diu consistere: cum de necè parentis nihil demonstratum esset, indignum facinus esse ea poena adficere reum, qua parricidae adficiuntur; id autem, si damnaretur, fieri necesse esse, quoniam et id causae subscriptum et ea re nomen extra ordinem sit acceptum. 59. Ea igitur poena si adficere reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea poena damnationem necessario consequatur. Hic defensor poenae commutationem ex translativo genere inducendo totam infirmavit accusationem. Verumtamen ceteris quoque criminibus defendendis coniecturali constitutione translationem confirmavit. XX. Exemplum autem translationis in causa positum nobis sit huiusmodi: Cum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra praesto fuerunt, et cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti gladio manum praecidit. Agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum. Postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem, EXTRA QVAM IN REVM CAPITIS PRAEIVDICIVM FIAT. 60. Hic is, qui agit, iudicium purum postulat; ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quaestio est: Excipiendum sit, an non. Ratio: Non enim oportet recuperatorio iudicio eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, praeiudicium fieri. Infirmatio rationis: Eiusmodi sunt iniuriae, ut de eis indignum sit non primo quoque tempore iudicari. Iudicatio: Atrocitas iniuriarum satisne causae sit, quare, dum de ea iudicatur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium conparatum sit, praeiudicetur? Atque exemplum quidem hoc est. In omni autem causa ab utroque quaeri oportebit, a quo et per quos et quo modo et quo tempore aut agi aut iudicari aut quid statui de ea re conveniat. 61. Id ex partibus iuris, de quibus post

---

1. *poterat* W, *oportet* C. — *ut diu* P^2. — *consistere* W, *consistat* C. 2. *esset* C, *sit* $P^2\omega$. Ante *esset* parva ras. in V. 3. *aff.* (itemque paulo post) VS. — *reum* K, *eum* C. — *qua ... adficiuntur* incl. K. 5. *sit* C, *esset* K, quod mihi quidem necessarium non videtur. — *si poena si* V. 6. *afficere eum* VAT, *affici reum* PSω. 7. *eam* V. 9. *infirmavit* W, *infirmabit* C. 10. *confirmavit* W, *confirmabit* CM, *confirmabat* Δ. 11. *exemplum ... huiusmodi* M. — *tranlationis* V. — *in* s. l. S. 15. *praecissa* V. — *postulat ... exceptionem* M. 16. *in rem* V, *in reum* (*um* in ras.) S. 19. *recuperato*(*rio* s. l. add.) V. 20. *de quo sicarius* VS^1. — *exceptione praeiudicium* S. 21. *infirmationis ratio* VP, sed cf. 18, 11; 97, 22. 22. *his* C. 23. *iudicatur* VSP^1, *iudicetur* $P^2\omega$. 27. *agi*/// S.

dicendum est, sumi oportebit et ratiocinari, quid in similibus rebus fieri soleat, et videre, utrum malitia quadam aliud agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, quod alio modo agere non possit, an occasione agendi sic sit iudicium aut actio constituta, an recte sine ulla re eiusmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet: fugere iudicium ac poenam, quia causae diffidat. A translatione autem: omnium fore perturbationem, si non ita res agantur et in iudicium veniant, quo pacto oporteat; hoc est, si aut cum eo agatur, quocum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur haec constitutiones, quae partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem constitutionem et partes eius consideremus.

XXI. 62. Cum et facto et facti nomine concesso neque ulla actionis inlata controversia vis et natura et genus ipsius negotii quaeritur, constitutionem generalem appellamus. Huius primas esse partes duas nobis videri diximus, negotialem et iuridicialem. Negotialis est, quae in ipso negotio iuris civilis habet implicatam controversiam. Ea est huiusmodi: Quidam pupillum heredem fecit; pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam venit. De hereditate ea, quae pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli heredes secundi sunt, et inter adgnatos pupilli controversia est. Possessio heredum secundorum est. Intentio est adgnatorum: Nostra pecunia est, de qua is, cuius adgnati sumus, testatus non est. Depulsio est: Immo nostra, qui heredes testamento patris sumus. Quaestio est: Utrorum sit? Ratio: Pater enim et sibi et filio testamentum scripsit, dum is pupillus esset.

---

2. *quadam* W, *quid* V, erasum est in S, *quod* P, om. 𝔐 277, 4, ω. 4. *agere* C, *agi* ω. — *sic sit*] *sic si* P¹, *sic sit id* P². 6. *inducit* M. 8. *in* om. V, s. l. S. 9. *veniant* (*n* del.) V, *veniat* (*n* s. l.) S. 10. *quocum* C, *quicum* Mω. 12. *haec* P¹, *hae* P²VS, *eae* ω, cf. p. 87, 13; 39, 21. 15. *concessio* V¹. An ex *concessis?* 16. *ipsius negotii*, non *negotii ipsius* etiam M. 19. *in* s. l. S. 21. *pupillu*(*s* s. l. add.) V. 22. *venit* (pr. l.) VP, *veniat* S¹, *veniret* S²Mω, *venisset* Ernesti. Prorsus nihil huc facit aut de Or. I 180 aut Brut. 195, quos locos coniunctivi tuendi causa attulit Baiter. 23. *agn.* VS. 24. *adagn.* (*ad* del.) V, *agn.* S, itemque uterque liber paulo post. 26. *heredes* C Alb. 530, *heredes secundi* ω. 27. *ratio est* ω, in M fortasse ad lemna non pertinet. 28. *sibi filio* V. — *his* P.

Quare, quae filii fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est. Infirmatio rationis: Immo pater sibi scripsit et secundum heredem non filio, sed sibi iussit esse. Quare, praeterquam quod in ipsius fuit, testamento illius vestrum esse non potest. Iudicatio: Possitne quisquam de filii pupilli re testari; an heredes secundi ipsius patrisfamilias non filii quoque eius pupilli heredes sint? 63. Id quoque non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam aut usquequaque dicatur, hic admonere. Sunt causae, quae plures habent rationes in simplici constitutione; quod fit, cum id, quod factum est aut quod defenditur, pluribus de causis rectum aut probabile videri potest, ut in hac ipsa causa. Subponatur enim ab heredibus haec ratio: Unius enim pecuniae plures dissimilibus de causis heredes esse non possunt, nec umquam factum est, ut eiusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esset; infirmatio autem haec erit: 64. Non est una pecunia, propterea quod altera pupilli iam erat adventicia, cuius heres non illo testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset; de altera patris etiamnunc mortui voluntas plurimum valebat, quae iam mortuo pupillo suis heredibus cedebat. Iudicatio est: Unane pecunia fuerit; aut si hac erunt usi infirmatione: Posse plures esse unius heredes pecuniae dissimilibus de causis et de eo ipso esse controversiam, iudicatio nascitur: Possintne eiusdem pecuniae plures dissimilibus generibus heredes esse? XXII. Ergo una in constitutione intellectum est, quomodo et rationes et rationum infirmationes et propterea iudicationes plures fiant.

65. Nunc huius generis praecepta videamus. Utrisque aut

---

1. *testato* V¹. 2. *infirmatio est* ω, Baiter contra CM. 4. *in* om. ω Baiter. — *ullius* S¹P². 7. *Id quoque* W, *ad hoc* P, *at hoc* VS¹, *at que hoc* S²ω. 12. *enim* post v. *unius* incl. K, qua particula rationis inductio haud facile carere potest, cf. 102, 27. 101, 19. 97, 21. 18, 8. 13. *pluris* V¹. 15. *autem* om. S. 16. *pecuniae* S¹. — *adventitia* VS. 17. *non illo testamento* K, *nullo in testamento* VPS¹, *non illo in test.* S², *non illo tempore testam.* ω. 18. *de altera* W, *et de altera* C. 19. *valebit* Schuetz. — *hedibus* V¹. — *cedebat* VK, *c̄cedebat* (*c* = *con* del.) S, *concedebat* Pω. 20. *una*(*ne* s. l. add.) V. — *aut*] *ac* contra CM Orelli. 21. *posse* punctis del. S. — *heredis* V¹. 22. *causis; de eo ipso iud. nascitur* ω. 23. *pecunae* (*i* s. l. add.) V. — *generibus* etiam M. 27. In *utrisque s* in V deleta, in S erasa est, *utrique* M.

etiam omnibus, si plures ambigent, ius ex quibus rebus constet, considerandum est. Initium ergo eius ab natura ductum videtur; quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut obscura in consuetudinem venisse; post autem adprobata quaedam a consuetudine aut vero utilia visa legibus esse firmata; ac naturae quidem ius esse, quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis adferat, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. 66. Religionem eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant; pietatem, quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat; gratiam, quae in memoria et remuneratione officiorum et honoris et amicitiarum observantiam teneat; vindicationem, per quam vim et contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsamus a nobis et qui nobis cari esse debent, et per quam peccata punimur; observantiam, per quam aetate aut sapientia aut honore aut aliqua dignitate antecedentes reveremur et colimus; veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat aut factum aut futurum sit. 67. Ac naturae quidem iura minus ipsa quaeruntur ad hanc controversiam, quod neque in hoc civili iure versantur et a vulgari intellegentia remotiora sunt; ad similitudinem vero aliquam aut ad rem amplificandam saepe sunt inferenda. Consuetudine autem ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas conprobarit. In ea autem quaedam sunt iura ipsa iam certa propter vetustatem. Quo in genere et alia sunt multa et eorum multo maxima pars, quae praetores edicere consuerunt. Quaedam autem genera iuris iam certa consuetudine facta sunt; quod genus

---

1. *ambigent* (*g* del.) V, *ambient* S. 2. *inicium* S. 3. *perspici|a nobis* V. 4. *appr.* S. 5. *aut a* S^2 (s. l.) A. — *aut vero* V^1, *aut a vero* $V^2PS\omega M$, quare *utilia visa* incl. K. 7. *aff.* S. 9. *cerimonia* VS. 11. *moveat* V^1. 14. *et qui* W, *et nostris qui* CK, *et a nostris qui* ω. 15. *punimur* P^1, *punimus* $P^2VS\omega$, cf. II 80. 16. *reveremur* Kauchius, *veneremur* VS^1, *veremur* Pω, *veneramur* S^2A. 19. *quod*] *quae* VS^1. 20. *remota non sunt* K, quod si Cicero voluisset, certo scripsisset: *parum remota sunt.* 22. *consuetudine* V, *consuetudinem* P^1, *consuetudinum* P^2, *consuetudinis* SωM. 23. *conprobavit* M ex ΔF. 26. *maxime* V. — *quae*] *quam* V^2SM. — *praetores* SV^2P^2, *praeceptorum* V^1, *praeceptorem* P^1. — *eadicere* V^1, ortumne ex *ecdicere?*, *aedicare* P^1, *edicere* V^2SM, *dicere* P^2.

pactum, par, iudicatum. 68. Pactum est, quod inter quos convenit ita iustum putatur, ut iuri praestare dicatur; par, quod in omnes aequabile est; iudicatum, de quo iam ante sententia alicuius aut aliquorum constitutum est. Iam iura legitima ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus iuris, quod cuique aut ex ipsa re aut ex simili maiore minoreve nasci videbitur, attendere atque elicere pertemptando unam quamque iuris partem oportebit. Locorum autem communium quoniam, ut ante dictum est, duo genera sunt, quorum alterum dubiae rei, alterum certae continet amplificationem, quid ipsa causa det et quid augeri per communem locum possit et oporteat, considerabitur. Nam certi, qui in omnes incidant, loci praescribi non possunt; in plerisque fortasse ab auctoritate iuris consultorum et contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum est autem in hac et in omnibus, num quos locos communes praeter eos, quos nos exposuimus, ipsa res ostendat. Nunc iuridiciale genus et partes consideremus.

XXIII. 69. Iuridicialis est, in qua aequi et iniqui natura et praemii aut poenae ratio quaeritur. Huius partes sunt duae, quarum alteram absolutam, adsumptivam alteram nominamus. Absoluta est, quae ipsa in se non ut negotialis implicate et abscondite sed patentius et expeditius recti et non recti quaestionem continet. Ea est huiusmodi: Cum Thebani Lacedaemonios bello superavissent et fere mos esset Graiis, cum inter se bellum gessissent, ut ei, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus sta-

---

1. *pactum* ante *par* s. l. S. — *inter aliquos* ω. 2. *ita* VPS¹, *quod iam ita* S²ω, *quod ita* K, qui de codicum scriptura vehementer erravit. — *iuri* Graevius, *iura* VS, *iure* Pω, Cornif. II 20. 4. *iam iura... oportebit* M. 5. *agnosci* V. — *quod cuique* Halm in M, *quod quisque* CF, *quod quidque* V²Δ, *quod quisque... videbit* in Fris. Victorini correctum est. 6. *maiore minoreve* M, *aut maiore aut minore* 𝔐, *aut maiore minoreve* C, *aut ex maiore minoreve* ω. 7. *ilicere* V¹, *inlicere* V², *elicere* V³. 10. *et quod* VΔS. 12. *perscribi* M. — *implerisque* VS. 14. *duci* S². — *in hac* VS¹, *et in hac* PS². 15. *num*] *non* V¹. 20. *nos* om. S. 16. *partes* V¹S¹P, *partes eius* V²S²ω. 19. *ass.* S. — *absoluta est... abscondite* M. 20. *ut negotiali simplicitate* (sup. *ut* est *vi* m. 2, *s* et *ta* punctis del.) V, atque hinc scr. *implicate*, cum ceteris liberis *implicite* proditum sit. 21. *explicatius?* 22. *huiusmodi* VS, *huiuscemodi* P. 23. *superavissent* C, *supavissent* (*er* sup. *p* add.) V, *superassent* ω. — *grais* C, cf. Lachmann Lucr. III 227. 24. *hi* VS, *hii* P. — *tropeum* V¹P, *tropheum* V²S. — *statuerint* P¹.

tuerent victoriae modo in praesentiam declarandae causa, non ut in perpetuum belli memoria maneret, aeneum statuerunt tropaeum. Accusantur apud Amphictyonas, id est apud commune Graeciae consilium. 70. Intentio est: Non oportuit. Depulsio est: Oportuit. Quaestio est: Oportueritne? Ratio est: Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut eius aeterna insignia posteris nostris relinquere vellemus. Infirmatio est: Tamen aeternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis statuere non oportet. Iudicatio est: Cum summae virtutis concelebrandae causa Graii de Graiis aeternum inimicitiarum monumentum statuerunt, rectene an contra fecerint? Hanc ideo rationem subiecimus, ut hoc causae genus ipsum, de quo agimus, cognosceretur. Nam si eam subposuissemus, qua fortasse usi sunt: Non enim iuste nec pie bellum gessistis, in relationem criminis delaberemur, de qua post loquemur. Utrumque autem causae genus in hanc causam incidere perspicuum est. In hanc argumentationes ex eisdem locis sumendae sunt atque in causam negotialem, qua de ante dictum est. 71. Locos communis autem et ex causa ipsa, si quid inerit indignationis aut conquestionis, et ex iuris utilitate et natura multos et graves sumere licebit, si causae dignitas videbitur postulare. XXIV. Nunc adsumptivam partem iuridicialis consideremus.

Adsumptiva igitur tum dicitur, cum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Eius partes sunt quattuor: conparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio. 72. Conparatio est, cum aliquid

---

1. *praesentiam* VP Alb., *praesentia* S. — *causae* V, om. S. — *non* (punctis et lineola del.) V. 2. *tropeum* V, *tropheum* PS. 4. *consilium* C, *concilium* Alb. $S^2\omega$. 7. *tamen* W, *attamen* C Alb., cf. II 79. 95. 97. 98. Licebat etiam *at enim* corrigere. 8. *inimiciarum* V. — *grais* C. 10. *grai de grais* C. 11. *subiecemus* V^1. 12. *agimus cognosceretur* $P\omega$, *ageretur* V^1, *agimus demonstraretur* V^2S. 13. *ea* V. — *supp.* S. — *fortasse quidam* V^2. 14. *nec* V^2S, *ne* V^1P, *neque* ω. — *gesistis* V. 17. *isdem* VS, *iisdem* P. 18. *de*/////*ante* V. — *locus* V. — *communes* om. VS^1, atque hinc correxi: *locos communis autem,* cum ceteri tradant: *locos autem communes.* 19. *aut*] *et* S. 20. *gravissimere* V^1, i. e.: *gravissumere, graves sumere* V^2. — *licebit*] Add. C: *et oportebit,* del. K. 21. *ass.* S. 24. *foris*] *forte* V^1S^1, cf. I 15. Depravatio in transcriptione uncialium orta videtur. — *argumento* om. S^1, s. l. S^2. 25. *quatuor* S. 26. *aliquid* VS, *aliquod* $P\omega$.

factum, quod ipsum non sit probandum, ex eo, cuius id causa factum est, defenditur. Ea est huiusmodi: Quidam imperator, cum ab hostibus circumsederetur neque effugere ullo modo posset, depectus est cum eis, ut arma et inpedimenta relinqueret, milites educeret; itaque fecit; armis et inpedimentis amissis praeter spem milites conservavit. Accusatur maiestatis. Incurrit huc definitio. Sed nos hunc locum, de quo agimus, consideremus. 73. Intentio est: Non oportuit arma et inpedimenta relinquere. Depulsio est: Oportuit. Quaestio est: Oportueritne? Ratio est: Milites enim omnes perissent. Infirmatio est aut: Non perissent; aut: Non ideo fecisti; aut haec conparativa, cuius nunc indigemus: At enim satius fuit amittere milites quam arma et inpedimenta concedere hostibus. Ex qua iudicatio nascitur: Cum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent, utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc condicionem venire? 74. Hoc causae genus cum ex suis locis tractare oportebit, tum adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta; ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ei, qui accusabuntur, conparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum esset, de quo facto iudicium est, futurum

---

1. *quod ipsum* VS, *quod per se ipsum* Pω. 3. *abostibus* V. — *circumsederetur* VP¹S, *circumsideretur* P²ω. 4. *depectus* V¹A, *depacatus* V² in mrg., *depactus* PS. *Depecisci et defetigare* in optimis Ciceronis et Terentii libris scribuntur, cf. Umpfenbach ad Terent. Phorm. 166, Wunder ad Planc. § 11 p. 69 sq., Boot ad Cic. Ep. Att. IX 7, 3 p. 55. Fleckeisen, Fünfzig Artikel p. 15 sq., Brambach, Lat. Orthogr. p. 78. — *eis* S, *iis* P, *his* V. — *ut*] *et* P¹, hinc videlicet K illud suum: *ut et arma!* — *arma inp.* (om. *et*) P. 7. *dif.* V², *diff.* S. 8. *imp.* V. 9. *oportui*|*it* V. 10. *aut*] *autem* V² in mrg. Add. C: *coniecturalis,* del. K. 11. *aut*] Add. C: *altera coniecturalis,* del. K. — *non ideo fecisti*] Add. C: *ex quibus iudicatio est* (*sunt iudicationes* ω): *perissentne? et ideone fecerit,* M: *ex quibus iudicationes*] *duae scilicet iudicationes coniecturales,* del. W. 14. *venisset?* Cf. § 76. Illa iam Schuetzii coniectura est. 15. *ad* s. l. V. — *conditionem* C, *pactionem* K ex § 76. 16. *cum ex* W, *ex* C, *et ex* K. — *suis* Grevenb., *his* C. — *tractare* Voss. I K, *tractari* C. 17. *tum* add. W, ras. in S, *et* add. man. rec. extra lin. V, ω (om. *et* etiam M). — *adhiberi* P². — *que* (s. l. add. *quo*) V. 18. *cōiecturalis* (*al* del.) V. 19. *quod*] *que* V¹. — *quod*] *qui* V¹. — *crimine* V¹. — *hi* C. 20. *conparabunt* om. V¹. — *si aut id*] *sic id* V¹. 21. *de quo* C, *quo de* ω. — *est* s. l. VSP.

fuisse negabitur; aut si alia ratione et aliam ob causam, ac dicet reus se fecisse, demonstrabitur esse factum. Eius rei confirmatio et item contraria de parte infirmatio ex coniecturali constitutione sumetur. Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in iudicium, sicut in hac causa (nam maiestatis arcessitur), definitione et praeceptis definitionis uti oportebit. XXV. Atque haec quidem plerumque in hoc genere accidunt, ut et coniectura et definitione utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis praecepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandum, ut id ipsum factum, propter quod sibi reus concedi putet oportere, quam plurimis infirmet rationibus. Quod facile erit, si quam plurimis constitutionibus adgredietur id inprobare. 75. Ipsa autem conparatio separata a ceteris generibus controversiarum sic ex sua vi considerabitur, si illud, quod conparabitur, aut non honestum aut non utile aut non necessarium fuisse aut non tanto opere utile aut non tanto opere honestum aut non tanto opere necessarium fuisse demonstrabitur. Deinde oportet accusatorem illud, quod ipse arguat, ab eo, quod defensor conparet, separare. Id autem faciet, si demonstrabit non ita fieri solere neque oportere neque esse ratiónem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter salutem militum ea, quae salutis causa conparata sunt, hostibus tradantur. Postea conparare oportet cum beneficio maleficium et omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defensore laudatur aut faciendum fuisse demonstratur, contendere et hoc extenuando maleficii magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si de-

---

1. *fuisse*///V. — *aut alia* M. 2. *reus se* W, *rem reus* VS¹, *se rem reus* S², *se reus* Pω. — *eiu*(*s* s. l. et *u* in ras.) V. 3. *parte*/////// *in*//*firmatio* (*in* extra lin. in mrg. sed m. 1) V. 4. *sumetur* M, *sum*/*tur* V, *sum*///*tur* S¹, *sumitur* S²P. 7. *definione* (*ti* s. l. add.) V. 8. *incidit* VP¹S. 9. *transfer*(*re* s. l. add.) V. 10. *laborandum* VS¹, cf. Madvig Fin. I 4, 10. Sed fortasse *in eo elaborandum* scribendum fuit. 11. *putet* C, *putat* ω. — *quam*] *quia* V¹. 12. *erit* W, *est* C. — *quam*] *quis* VS¹. 13. *aggradietur* S. 16 et 17. *tantopere* (tribus locis) C. 18. *demonstrabitur* P²S², om. VP¹S¹, *demonstratur* ω. — *Deinde* ... *separare* M. — *oportet* CΔ, *oportebit* M. 19. *conparet* ΑΑΒ, *comparat* CF. 22. *qu*(*ae* s. l. add.) V. — *tradatur* (*n* sup. *a* add.) V. 23. *oportet* W, *oportebit* C. — *maleficium* om. S¹. 24. *arguitur* C, *arguetur* K. — *laudatur* C, *laudabitur* P²ωK. 25. *demonstratur* C, *demonstrabitur* P²AK. — *contendere* ... *adaugere* M. 26. *augere* Δ.

monstrabitur honestius, utilius, magis necessarium fuisse illud, quod vitarit reus, quam id, quod fecerit. 76. Honesti autem et utilis et necessarii vis et natura in deliberationis praeceptis cognoscetur. Deinde oportet ipsam illam conparativam iudicationem exponere tamquam causam deliberativam [et de ea ex deliberationis praeceptis dicere]. Sit enim haec iudicatio, quam ante exposuimus: Cum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent, utrum satius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem venire? Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquam in consultationem res veniat, tractari oportebit. XXVI. Defensor autem, quibus in locis ab accusatore aliae constitutiones erunt inductae, in eis ipse quoque ex eisdem constitutionibus defensionem conparabit; ceteros autem omnes locos, qui ad ipsam conparationem pertinebunt, ex contrario tractabit. 77. Loci communes autem erunt, accusatoris in eum, qui, cum de facto turpi aliquo aut inutili aut utroque fateatur, quaerat tamen aliquam defensionem; defensoris et ille, nullum factum inutile neque turpe neque item utile neque honestum putari oportere, nisi, quo animo, quo tempore, qua de causa factum sit, intellegatur; qui locus ita communis est, ut bene tractatus in hac causa magno ad persuadendum momento futurus sit; et alter locus, per quem magna cum amplificatione beneficii magnitudo ex utilitate aut honestate aut facti necessitudine demonstratur; 78. et tertius, per quem res expressa verbis ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut quisque se quoque idem facturum fuisse arbitretur,

1. *illud* C, *id* Orelli. 2. *id quod* W, *illud* V¹, *illud quod* V² (sed m. antiqua), PSω. — *honesti ... cognoscetur* (4) incl. K. 4. *Deinde ... deliberativam* M. — *oportet* ΔA, *oportebit* C. — *illam ipsam* M Lamb., sed cf. § 107. Mihi quidem *illam* deleri praestare videtur. 5. *et ... dicere* incl. W. — *ut ex* S. 6. *liberationis* (*de* s. l. add.) V. — *praeceptis deinceps* P²ω. 10. *in aliquam* MS. — *consultionem* (*ta* s. l. add.) V. 12. *his* C. — *isdem* VS, *hisdem* P. 13. *omnis* V¹. 14. *Loci ... fateatur* (16) M. 15. *autem erunt* W, *inerunt* CM, *hi erunt* Klotz, quem sequebantur K et Halm in Victorino. 16. *utroque* S¹F, *utrumque* S²B, *utrorumque* VP (*rum* in V punctis del.). — *defensionem*] Add. C: *et* (*et in* V²) *facti inutilitatem aut turpitudinem cum indignatione* (add. P²ω: *proferre*), del. K, qui tamen servavit *cum indignatione*. 17. *defensoris et ille* W, *defensoris est* CK, *'defensoris* Baiter. 25. *quisque se quoque* W, *ipse quoque* VP¹S¹, *ipsi quoque* P², *ipsi quoque se* S², *ipsi se quoque* ω. — *facturum* W, *facturus* VS, *facturos* Pω. — *arbitretur* V, *arbitrentur* PSω.

si sibi illa res atque ea faciendi causa per idem tempus accidisset.

Relatio criminis est, cum reus id, quod arguitur, confessus alterius se inductum peccato iure fecisse demonstrat. Ea est huiusmodi: Horatius occisis tribus Curiatiis et duobus amissis fratribus domum se victor recipit. Is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem, sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu et lamentatione: indigne passus virginem occidit. Accusatur. 79. Intentio est: Iniuria sororem occidisti. Depulsio est: Iure occidi. Quaestio est: Iurene occiderit? Ratio est: Illa enim hostium mortem lugebat, fratrum neglegebat; me et populum Romanum vicisse moleste ferebat. Infirmatio est: Tamen a fratre indamnatam necari non oportuit. Ex quo iudicatio fit: Cum Horatia fratrum mortem neglegeret, hostium lugeret, fratris et populi Romani victoria non gauderet, oportueritne eam a fratre indamnatam necari? XXVII. Hoc in genere causae primum, si quid ex ceteris dabitur constitutionibus, sumi oportebit, sicuti in conparatione praeceptum est; postea, si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transferetur, defendere; 80. deinde, levius esse illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipse susceperit; postea translationis partibus uti et ostendere a quo et per quos et quo modo et quo tempore aut agi aut iudicari aut statui de ea re convenerit; ac simul ostendere non oportuisse ante supplicium quam iudicium interponere. Tum leges quoque et iudicia demonstranda sunt, per quae oportuerit id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit, moribus et iudicio vindicare. Deinde negare audire oportere id, quod in eum criminis conferatur, de

---

1. *ea*] *eadem* Lambin. 3. *relatio ... demonstrat* M. 5. *oratius* C. — *curiatis* VP, *curiatibus* S^1. 6. *recipit* VP, *recepit* Alb. 531 Sω. 8. *curiati* $V^1P^1S^1$, *curiatis* P^3, *curiatium* V^2. 11. *fratrem* P^2. 13. *indamnatam* V^1, *indemnatam* V^2PS (item v. 16). — *oportuit*] *oportebit* K errore, ut videtur. 14. *quo* VS^1, *qua* PωK. — *oratia* C. — *neglegeret* (*et* ex *it* corr.) V. 15. *ostium* V. — *luger*//// *et* (*e* ex *i* corr.) V. — *gauderet . ne* (*oportuerit* s. l. add.) V. 18. *sicut* ω. — *cōmemoratione* (s. l. *cōpensatione* m. rec.) V. 19. *si quae* Δ. 21. *tranferat* (*s* sup. *n* add.) V. — *susciperit* (*i* prior in *e* corr.) V. 25. *Tum leges ... vindicare* (27) incl. K. 26. *oportuerit* W, *potuerit* C. 27. *vindicare* VP corr., *vindicari* $SP^1ω$. 28. *negare debebit* ω. — *audire* V, *audere* P, *audiri* $MSP^2ω$.

quo is ipse, qui conferat, iudicium fieri noluerit, et id, quod iudicatum non sit, pro infecto habere oportere; 81. postea inpudentiam demonstrare eorum, qui eum nunc apud iudices accusent, quem sine iudicibus ipsi condemnarint; et de eo iudicium faciant, de quo iam ipsi supplicium sumpserint: perturbationem iudicii futuram et iudices longius, quam potestatem habeant, progressuros, si simul et de reo et de eo, quem reus arguat, iudicarint; deinde, si hoc constitutum sit, ut peccata homines peccatis et iniurias iniuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequatur; ac si idem facere ipse, qui nunc accuset, voluisset, ne hoc quidem ipso quicquam opus fuisse iudicio; si vero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. 82. Postea demonstrabit[ur], ne si iudicio quidem illa damnata esset, in quam id crimen ab reo conferatur, potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere; quare esse indignum eum, qui ne de damnata quidem poenas sumere ipse potuisset, de ea supplicium sumpsisse, cum ne adducta quidem sit in iudicium. Deinde postulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde quemadmodum in conparatione praecipiebamus, ut illud, quod conpararetur, extenuaretur ab accusatore quam maxime, sic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum huius maleficio, qui se iure fecisse dicat, conparare. Postea demonstrandum est non esse illud eiusmodi, ut ob id hoc fieri convenerit. Extrema est, ut in conparatione, adsumptio iudicationis et de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio. XXVIII. 83. Defensor autem, quae per alias constitutiones inducentur, ex eis locis, qui traditi sunt, infirmabit; ipsam autem relationem conprobabit, primum augendo eius, in

---

1. *is* om. S. — *noluerunt* S. 2. *habere* VP, *haberi* MSω. 4. *condempnaverint* P, *condemnarent* S. 5. *sumpserit* P^1, *sumpserunt* P^2. — *perturbationem* K, *postea perturb.* C. — *futuram* Lamb., *futuram dicemus* C. 7. *si* s. l. S. — *de eo*] *deo* V^1. 8. *arguant* VP (in V *n* del.). — *si hoc* C, *hoc si* ω. 10. *consequantur* V^1P^1S. — *accuset* AM, *accusat* C. 11. *voluisset* P^2. 13. *demonstrabit* K in praef., sed nescio an hoc verbum additamentum sit. 17. *cum* W, *que* V^1, *quae* V^2PS. — *in* s. l. V, *ad* S. 20. *comparabatur* $S^2ω$. 21. *in crimen quem* (recto ordine litteris s. l. significato) V, *quem* om. P^1. — *transferatur* V, *transfertur* S. 22. *se*] *rem* VS^1. 24. *convenerit* P^2 Ernesti, *conveniret* C. — *ass.* VS. 26. *dictio*] *dictis* V^1, *dicatur* V^2 in mrg. 27. *inducontur* (*o* corr. in *e*) V. — *his* C.

quem referet crimen, culpam et audaciam, et quam maxime per indignationem, si res feret, iuncta conquestione ante oculos ponendo; postea levius demonstrando se punitum, quam sit illius promeritum, et suum supplicium cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accusatore tractati, ut refelli et contrariam in partem converti possint, quo in genere sunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare. 84. Illa autem acerrima accusatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonstrant, si de indamnato supplicii sumendi potestas data sit, levabitur, primum si eiusmodi demonstrabitur iniuria, ut non modo viro bono, verum omnino homini libero videatur non fuisse toleranda; deinde ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur; deinde eiusmodi, ut in eam is maxime debuerit animadvertere, qui animadverterit; ut non tam rectum, non tam fuerit honestum in iudicium illam rem pervenire, quam eo modo atque ab eo vindicari, quo modo et a quo sit vindicata; postea sic rem fuisse apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. 85. Atque hic demonstrandum est rationibus et similibus rebus permultas ita atroces et perspicuas res esse, ut de eis non modo non necesse sit sed ne utile quidem, quam mox iudicium fiat, exspectare. Locus communis accusatoris in eum, qui cum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei conparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonstratio et de eo conquestio, qui supplicium dederit indamnatus; in eius autem, qui sumpserit, audaciam et crudelitatem indignatio. 86. Ab defensore, in eius, quem ultus sit, audaciam indignatio cum sui conquestione; rem non ex nomine

---

1. *audatiam* VS. — *q(uam* s. l. add.) V. 3. *ponenda* V. — *demonstrandam* V. — *se*] *reum* ω. — *quam*] *qui* V^1P^1. 4. *illius* V^1P^1S, *ille* $V^2P^2\omega$. — *promeritum* K, *promeritus* VP, *promeritis* S. — *conferendum* S. 8. *pertur*/////////*bationem* V. 9. *forte* V. — *indamnato* V, *indemnato* S. 10. *potes*/////////*tas* V. — *levigabitur* P^2. 14. *eum* Lamb. 15. *qui animadvertit* V. 16. *pertinere* VS^1. — *quam*] *quia* V. 17. *ab quo* C. 18. *opertam* V^1. 20. *extrocis* V^1. — *eis* W, *his* C. 21. *quam* Ernesti, *qui* P^1, *quin* P^2VS, *qui non* V in mrg. 23. *tamen*] *tunc* VS^1. 24. *ex*] *et* VS^1. 26. *indamnatus* V, *indemnatus* S. — *autem* s. l. V. — *audatiam* V (item v. 28). 28. *indignatio cum* add. W. — *conquestione* P^2K, *conquestionem* VP^1, *conquestio* Sω.

ipsius negotii sed ex consilio eius, qui fecerit, et causa et tempore considerari oportere; quid mali futurum sit aut ex iniuria aut scelere alicuius, nisi tanta et tam perspicua audacia ab eo, ad cuius famam aut ad parentes aut ad liberos pertineret aut ad aliquam rem, quam caram esse omnibus aut necesse est aut oportet esse, vindicata.

XXIX. Remotio criminis est, cum eius intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium aut in aliud demovetur. It fit bipertito; nam tum causa, tum res ipsa removetur. 87. Causae remotionis hoc nobis exemplo sit: Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur. Intentio est: Proficisci oportuit. Depulsio est: Non oportuit. Quaestio est: Oportueritne? Ratio est: Sumptus enim qui de publico dari solet, is ab quaestore non est datus. Infirmatio est: Vos tamen id, quod publice vobis erat negotii datum, conficere oportebat. Iudicatio est: Cum eis, qui legati erant, sumptus, qui debebatur de publico, non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem? Hoc in genere primum sicut in ceteris, si quid aut ex coniecturali aut ex alia constitutione sumi possit, videri oportebit. Deinde pleraque et ex conparatione et ex relatione criminis in hanc quoque causam convenire poterunt. 88. Accusator autem illum, cuius culpa id factum reus dicet, primum defendet, si poterit; sin minus poterit, negabit ad hoc iudicium illius, sed huius, quem accuset ipse, culpam pertinere. Postea dicet suo quemque officio consulere oportere; nec, si ille pecasset, hunc oportuisse peccare; deinde, si ille deliquerit, separatim

---

3. *aut scelere* VS, *aut ex scelere* Pω. 4. *pertineret* VP, *pertinet* SA, *pertinuerit* ω. 5. *ad* om. P. — *curam* V. 6. *esse* V^1P, *esset* V^2S. — *vindicata* VP^1S, *vindicata sit* P^2, *fuerit vindicata* ω. 7. *Remotio ... demovetur* M. — *est criminis* M. 8. *ab* om. P. — *in aliud crimen* V Alb. 9. *Causa* V Alb. 10. *exemplom?* — *rhodi* V. — *quosdam legatorum athenas* (m. 2 s. l. add.: *miserunt*) VS (in hoc *miserunt* extra versum s. l. m. 2 add.). 13. *proficisci////* (*ci* in ras.) V. 14. *qui* s. l. V. 15. *his* VS (*h* del.). 17. *his* C. 18. *nihil ominus* V. 20. *alia constitutione* PS^2, om. V^1S^1, *fine* s. l. add. V^2. — *su//////mi* V. 22. *poterint* S^1, cf. Lachmann ad Gaium I 146, Lucr. IV 486. 23. *cupa* (*l* s. l. add.) V. 24. *si potuerit* VS. — *negabit hoc* S. — *iuditium* V. 25. *ad illius* S. — *sed ... accuset ipse* incl. K. — *ad huius* S. — *accuset ipse* VS, *ipse acc.* Pω.

illum sicut hunc accusari oportere et non cum huius defensione coniungi illius accusationem. Defensor autem cum cetera, si qua ex aliis incident constitutionibus, pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur: 89. Primum, cuius acciderit culpa, demonstrabit; deinde, cum id aliena culpa accidisset, ostendet se aut non potuisse aut non debuisse id facere, quod accusator dicat oportuisse; quid potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus est necessitudinis vis implicata, quid debuerit, ex honestatis ratione considerabitur. De utroque distinctius in deliberativo genere dicetur. Deinde omnia facta esse ab se, quae in ipsius fuerint potestate; quod minus, quam convenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. 90. Deinde alterius culpa exponenda demonstrandum est, quantum voluntatis et studii fuerit in ipso, et id signis confirmandum huiusmodi: ex cetera diligentia, ex ante factis aut dictis; atque hoc ipsi utile fuisse facere, inutile autem non facere, et cum cetera vita fuisse hoc magis consentaneum, quam quod propter alterius culpam non fecerit. XXX. Si autem non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur, ut in hac eadem re, si quaestor mortuus esset et idcirco legatis pecunia data non esset, accusatione alterius et culpae depulsione dempta ceteris similiter uti locis oportebit et ex concessionis partibus, quae convenient, adsumere; de quibus nobis dicendum erit. 91. Loci autem communes eidem utrisque fere, qui in superioribus adsumptivis, incident; hi tamen certissime: accusatoris facti indignatio; defensoris, cum aut aliena culpa sit aut in ipso non sit, supplicio se adfici non oportere.

---

1. *sicut*] *sic* VP¹, *sicut hunc* incl. K. 2. *si que* P¹. 7. *quid potuerit* VP¹S, *quod non potuerit* P². 8. *implicata* VS, *implicata demonstrabit* Pω. — *quid debuerit* VP¹S, *quod non debuerit* P². — *honestatis ratione* W, *honestate* C, *honestatis* K ex Leid. II. 9. *de utroque distinctius* M, *de utroque ... dicetur* incl. K. 10. *esse*] *ea* (in ras.) S. — *ab se* K, *ab reo* C. Malim *adeo* vel simile quid; personae quidem significatio supervacanea videtur. — *quae*] *q* V¹. 12. *alterius* VS, *in alterius* Pω. 15. *ipse* V¹, *ipsum* V²S. 16. *cum* om. S. — *ceterae vitae* S. 17. *si autem* C, *sin* Δ, *sin autem* F. 18. *dimovebitur* S. 22. *quae*] *q*. (*uae* s. l. add.) V. — *ass.* VS. — *post nobis* Vulg. usque ad Baiterum, cf. § 102. 23. *idem* C. — *qui in* SV², *quin* P², *qui* V¹P¹. 24. *asumptivis* V¹ (*assumptiva specie* s. l. m. rec.). — *hii* P. — *tamen*] *tum* VP¹S¹. — *certissimi* P². 25. *aut aliena* W, *in alio* V¹PS, *in alia re* V², incl. K. — *sit aut* incl. K. 26. *se*] *rem* V, *reum* S¹. — *aff.* VS.

Ipsius autem rei fit remotio, cum id, quod datur crimini, negat neque ad se neque ad officium suum reus pertinuisse; nec, si quid in eo sit delictum, sibi attribui oportere. Id causae genus est huiusmodi: In eo foedere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adulescens nobilis porcum sustinuit iussu imperatoris. Foedere autem ab senatu inprobato et imperatore Samnitibus dedito, quidam in senatu eum quoque dicit, qui porcum tenuerit, dedi oportere. 92. Intentio est: Dedi oportet. Depulsio est: Non oportet. Quaestio est: Oporteatne? Ratio est: Non enim meum fuit officium nec mea potestas, cum et id aetatis et privatus essem et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum foedus feriretur. Infirmatio est: At enim quoniam particeps factus es in turpissimo foedere summae religionis, dedi te convenit. Iudicatio est: Cum is, qui potestatis nihil habuerit, iussu imperatoris in foedere et in tanta religione interfuerit, dedendusne sit hostibus necne? Hoc genus causae cum superiore hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei aut homini causam attribuit, quae voluntati suae fuerit inpedimento sine concessionis partibus; nam earum maior quaedam vis est, quod paullo post intellegetur. 93. In hoc autem non accusare alterum nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare eam rem nihil ad se nec ad potestatem neque ad officium suum pertinuisse aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quod accusator quoque saepe ex remotione criminationem conficit, ut si qui eum accuset, qui, cum praetor esset, in expeditionem ad arma populum vocarit, cum consules essent. Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio

---

1. *crimine* S^1. 3. *si quod* VS Alb. — *adtr.* VS. 5. *adolescens* VS. — *porcum* VP^1S, *porcam* $P^2\omega$, cf. Vict. 191, 37. Alb. 531; itemque v. 7. 10. *cum id* (om. *et*) VS. — *aetatis non habui* VA = Albin. 531, 29. 11. *privatus* (s. l. *sine officii dignitate*) V. 12. *imperator* (S^2A add. *qui*) *mandavit qui videret* AVS = Albin. 531, 30. 13. *particeps* W, *particeps tu* VSA Albin., *tu particeps* Pω. 15. *his* P. 16. *necne* om. P^1, incl. K. 19. *atrib.* V^1. — *q;* (*uae* s. l. add.) V. — *voluntatis* S = Albin. 531, 37. 21. *quaedam maior* S. — *intellegitur* VS. 22. *acus.* S^1. 23. *nec* C, *neque* ω. 26. *ut si qui* PSV^2, *utrique* V^1. 27. *inpeditione* (*ex* s. *p* add.) V^1, *in expeditione* P, *in expeditionem* V^2S. — *vocari* V^1. 28. *essent* V^1P^1S, *adessent* $V^2\omega$, *ibi essent* P^2.

et a potestate factum demovebat, sic in hoc ab eius officio ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum removendo hac ipsa ratione confirmat accusationem. 94. In hac ab utroque ex omnibus artis partibus, exemplis signis ratiocinando, quid cuiusque officii, iuris, potestatis sit, quaeri oportebit et fueritne ei, quo de agetur, id iuris, officii, potestatis attributum necne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis aut conquestionis habebit, sumi oportebit.

XXXI. Concessio est, per quam non factum ipsum probatur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur. Cuius partes sunt duae, purgatio et deprecatio. Purgatio est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, inprudentiam, casum, necessitudinem. 95. Inprudentia est, cum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur; ut apud quosdam lex erat, ne quis Dianae vitulum immolaret. Nautae quidam, cum adversa tempestate in alto iactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se vitulum immolaturos. Casu erat in eo portu fanum Dianae eius, cui vitulum immolare non licebat. Inprudentes legis, cum exissent, vitulum immolaverunt. Accusantur. Intentio est: Vitulum immolastis ei deo, cui non licebat. Depulsio est in concessione posita. Ratio est: Nescivi non licere. Infirmatio est: Tamen, quoniam fecisti, quod non licebat, [ex lege] supplicio dignus es. Iudicatio est: Cum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus? 96. Casus autem infertur in concessionem, cum demonstratur aliqua fortunae vis voluntati obstitisse, ut in hac: Cum Lacedaemoniis lex esset, ut,

---

1. *demovebat ... factum* om. V^1, add. mrg. inf. V^2. — *hac* PVS^1. 4. *artis partibus* W, ////////////// *partibus* V, *partibus* PS; add. C: *honestatis et ex omnibus utilitatis partibus* (*partibus* in V m. rec. add.), ω: *honestatis et utilitatis partibus* (priore v. *partibus* om.), del. W, cf. Vict. 286, 12. 5. *sit ... potestatis* om. S^1, add. mrg. S^2. 6. *agetur* P^1V, *agitur* P^2S. 7. *locus* VS. — *communis* VS. — *aut conquestionis* PS𝔐, *ad conquestiones* V, *ac conquestionis* ω. 8. *su/////mi* V. 9. *concessio ... deprecatio* M. — *probatum* V^1P, *probatur cuius* Δ, *improbatur* (*im* del.) S. 12. *ea*] *et* P^1. 18. *immolare* C, *immolari* ω. 21. *cui deo* (om. *ei*) P. 22. *deposita* PVS Albin. 532, 14; an *in concessione rei posita? — ratio est*] *est* om. P^1. 25. *infertur* K ex Leid. I, Albin. 532, *inferetur* C. 26. *demonstratur* VP^1S Albin., *demonstrabitur* P^2ω. 27. *obstetisse* S. — *lacedemonis* P.

hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor praebuisset, capital esset, hostias is, qui redemerat, cum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro coepit agere. Tum subito magnis commotis tempestatibus fluvius Eurotas, is qui praeter Lacedaemonem fluit, ita magnus et vehemens factus est, ut ea traduci victimae nullo modo possent. 97. Redemptor suae voluntatis ostendendae causa hostias constituit omnes in litore, ut, qui trans flumen essent, videre possent. Cum omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse inpedimento, tamen quidam capitis arcessierunt. Intentio est: Hostiae, quas debuisti ad sacrificium, praesto non fuerunt. Depulsio concessio. Ratio: Flumen enim subito accrevit et ea re traduci non potuerunt. Infirmatio: Tamen, quoniam, quod lex iubet, factum non est, supplicio dignus es. Iudicatio est: Cum in ea re contra legem redemptor aliquid fecerit, qua in re studio eius subita fluminis obstiterit magnitudo, supplicio dignusne sit? XXXII. 98. Necessitudo autem infertur, cum vi quadam reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo: Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Cum magna in alto tempestas esset, vis ventorum invitis nautis in Rhodiorum portum navem coëgit. Quaestor navem populi vocat, navis dominus negat oportere publicari. Intentio est: Rostrata navis in portu deprehensa est. Depulsio concessio. Ratio: Vi et necessario sumus in portum coacti. Infirmatio est: Navem ex lege tamen populi esse oportet. Iudicatio est: Cum rostratam navem in portu deprehensam lex publicarit cumque haec navis invitis nautis vi

---

1. *capital* VP¹S, *capitale* P² Albin. 532. 3. *cepit agere* V¹S, *coepit peragere* V². — *cum subito* S Albin. — *magis* (*n* s. l. add.) V. — *commotis* ω, *commotus* C. 4. *Eurotas* incl. K. — *praeter* C Albin., *propter* ω. 5. *ea* VP¹, *eo* P²S Albin., in V *ea* punctis del. 6. *causae* S. 8. *possint* V. 9. *tamen* ωS², *tunc* VS¹, *tum* P¹, *tum eum* P². — *arcesserunt* VS Alb. 10. *ostiae* VS. 11. *depulsio* C Albin., *depulsio est* ωK, cf. v. 23. — *accre////uit* V. 12. *poterunt* (*u* sup. *e* add.) V. — *infirmatio* C Alb., *infirmatio est* ωK. 14. *iudicatio est* C Albin., *iudicatio* K (De S mihi non satis constat). — *aliquid,* quod tuentur C et Albinus, mihi cum ratione huius loci non consentaneum videtur, del. Ern. Orelli Baiter, recepit K. 15. *in* s. l. S. 18. *rodios* VS. 23. *depulsio* V Albin., *depulsio est* PS. 24. *navem ... iudicatio est* om. S¹, add. in mrg. S². — *navim* mrg. S. — *tamen*] *tunc* P¹. 25. *deprehesam* (*n* sup. *es* add.) V.

tempestatis in portum coniecta sit, oporteatne eam publicari? 99. Horum trium generum idcirco in unum locum contulimus exempla, quod similis in ea praeceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, si quid res ipsa dabit facultatis, coniecturam induci ab accusatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, consulto factum suspitione aliqua demonstretur; deinde inducere definitionem necessitudinis aut casus aut inprudentiae et exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus inprudentia fuisse videatur aut casus aut necessitudo, et ab eis id, quod reus inferat, separare, id est ostendere dissimile, quod non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit; postea demonstrare potuisse vitari: aut ratione provideri potuisse, si hoc aut illud fecisset, aut nisi fecisset, praecaveri; et definitionibus ostendere non hanc inprudentiam aut casum aut necessitudinem sed inertiam, neglegentiam, fatuitatem nominari oportere. 100. Ac si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium inplicationem redarguentem demonstrare quidvis perpeti, mori denique satius fuisse quam eiusmodi necessitudini obtemperare. Atque tum ex eis locis, de quibus in negotiali parte dictum est, iuris et aequitatis naturam oportebit quaerere et quasi in absoluta iuridiciali per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum; et contentione, magis illis ignoscendum fuisse; et deliberationis partibus, turpe aut inutile esse con-

---

2. *trium ... contulimus* om. V. 3. *argumento* VS¹, et suspitionem movet Vict. 286, 38: *haec tria exempla idcirco iuncta posuit, quia eorum omnium similis praeceptio est.* 6. *suspicione* VS. 7. *deinde inducere*] *deinducere* S¹, quod ex *dein* (*deiñ* = *deinde*) *inducere* ortum videtur. — *dif.* V, *diff.* S (item v. 8). 10. *eis* W, *his* C. — *separate* V. — *id est*] *idem* (*m* in ras.) V, *id est ... dissimile* incl. K post Ernestium et Schuetzium. 11. *quod*] Add. C: *levius* (*lenius* VP) *facilius,* del. K, et hanc coniecturam tuetur Vict. 287, 6. 12. *aut ratione* W, *hac ratione* V, *et hac ratione* Pω, *et ac ratione* S. 13. *nisi* VP¹, *ne sic* P²S, *ni sic* Schuetz. Atque *nisi* quidem, cum *si non* requiratur, vitiosum videtur. Quare suspicor: *aut, nisi temere fecisset, praecaveri.* 16. *habere // habere* V. 19. *necessitudine* V. — *his* C. 22. *hoc in loco* incl. K. Certe malim: *atque hic si,* ut *in loco* tamquam additamentum excerpatur. 24. *ignotum*] Sup. hoc v. glossa est in S: *dimissum.*

cedi eam rem, quae ab adversario commissa sit; permagnam esse et magno futurum detrimento, si ea res ab eis, qui potestatem habent vindicandi, neglecta sit. XXXIII. 101. Defensor autem conversis omnibus his partibus poterit uti; maxime autem in voluntate defendenda commorabitur et in ea re adaugenda, quae voluntati fuerit inpedimento; et se plus, quam fecerit, facere non potuisse; et in omnibus rebus voluntatem spectari oportere; et se convinci non posse, quod absit a culpa; suo nomine communem hominum infirmitatem posse damnari. Deinde nihil esse indignius quam eum, qui culpa careat, supplicio non carere. Loci autem sunt communes, accusatoris in confessionem, et quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto sed de facti causa quaeratur; 102. defensoris conquestio est calamitatis eius, quae non culpa sed vi maiore quadam acciderit, et de fortunae potestate et hominum infirmitate et, uti suum animum, non modo eventum considerent. In quibus omnibus conquestionem suarum aerumnarum et crudelitatis adversariorum indignationem inesse oportebit. Ac neminem mirari conveniet, si aut in his aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam adiunctam videbit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendum, propterea quod quaedam genera causarum simpliciter ex sua vi considerantur; quaedam autem sibi aliud quoque aliquod controversiae genus adsumunt. 103. Quare omnibus cognitis non erit difficile in unam quamque causam transferre, quod ex eo quoque genere conveniet; ut in his exemplis concessionis inest omnibus scripti controversia ea, quae ex scripto et sententia nominatur; sed quia de concessione loquebamur, in eam praecepta dedimus, alio autem loco de scripto et sententia dicemus. Nunc ut ulteram concessionis partem consideremus iam contendimus.

---

1. *quae* s. l. V. — *permagnam* C, *permagnum* ω. 2. *futurum* ω, *futuram* C. — *his* C. 5. *deffend.* S. — *que* V^1. 8. *absit* C, *non absit* ω. — *ex suo* P^2. 9. *posse* del. Schuetz. — *esse* om. S^1. 10. *non careatre* S. 11. *autem sunt* W, *his* V, quod ex *h's* ortum esse arbitror cf. p. 99, 3, *autem* PSω. — *confessionem* PS, *confessione* V. — *et* om. S^1, *et alter* P^2. 12. post *peccandi* in V unius vocabuli spatium relictum est. 15. *ominum* (*h* sup. *o* add.) V. 16. *non modo eventum* W, *non inventum* V^1, *non eventum* V^2PS. 19. *si aut ... videbit* M. — *in aliis*] *in* s. l. V. 23. *generis* S^1. — *asum.* S, *ass.* V. 24. *quod*] *quo* V. 26. *quae*] *q;* V^1. 28. *ut* W, *in* C, del. P^2. 29. *consideremus* VP, *considerationem* in ras. Sω. — *iam con-*

XXXIV. 104. Deprecatio est, in qua non defensio facti sed ignoscendi postulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari potest, ideo quod concesso peccato difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat, impetrare. Quare parte eius generis, cum causam non in eo constitueris, uti licebit. Ut pro aliquo claro aut forti viro, cuius in rem publicam multa sunt beneficia, cum dices, possis, cum videaris non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum: Quodsi, iudices, hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos semper habuit, tali suo tempore multorum suorum recte factorum causa uni delicto ut ignosceretis postularet, tamen dignum vestra mansuetudine, dignum virtute huius esset, iudices, a vobis hanc rem hoc postulante impetrari. Deinde augere beneficia licebit et iudices per locum communem ad ignoscendi voluntatem ducere. 105. Quare hoc genus, quamquam in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte, tamen, quia et pars haec ipsa inducenda nonnumquam est et in senatu aut in consilio saepe omni in genere tractanda, in id quoque praecepta ponemus. Nam et in senatu de Syphace diu deliberatum est, et de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium et eius consilium diu dictum est, et magis in hoc quidem ignoscendi quam cognoscendi postulatio valuit. Nam semper animo bono se in populum Romanum fuisse non tam facile probabat, cum coniecturali constitutione uteretur, quam ut propter posterius beneficium sibi ignosceretur, cum deprecationis partes adiungeret. XXXV. 106. Oportebit igitur eum, qui sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, si qua sua po-

---

tendimus W, *la contendemus* V, *iamque tendamus* P, *intendemus* Sω, *nunc ... contendimus* incl. K. 1. *deprecatio ... continetur* M. 2. *continetur. hoc genus vix* om. VS¹A. 4. *inpetrare* V. 6. *ut* VS, *ut si* Pω. — *forte* S¹V² (*i* in *e* corr.). 7. *sint* Ernesti. — *cum dices* W, *dicere* C, *dixeris* ω, *dicens* K, quod mihi vix latinum videtur. 8. *uti tunc* C. 10. *suorum* in ras. V. 11. *tamen* P², *tunc* C, *tam* ω. 12. *hoc* V¹, *ipso* s. l. V². 13. *iudicem* S, quod ex *iudt* (= *iudices*) ortum videtur. 15. *qua re*] *qua* V¹, *quia* V². 16. *tamen*] *tunc* VP¹, *nunc* S¹. — *quia* V², *qua* V¹. — *haec*] *h'* V¹, om. ω. 17. *sepe*//////// *ponemus* (mediis omissis) V¹, omissa in inferiore mrg. supplevit V². 18. *et in senatu* M, *in senatu aut in consilio* C, *in sen. et in cons.* ω. 19. *syface* VS, *siface* P. — *quinto* VS. 20. *lopimium* VS¹. — *et eius*] *et ius* V¹. — *ductum* P. 22. *nam ... uteretur* M. — *Romanum* om. M. 23. *probat* V 25. *partis* V¹.

terit beneficia et, si poterit, ostendere ea maiora esse quam haec, quae deliquerit, ut plus ab eo boni quam mali profectum esse videatur; deinde maiorum suorum beneficia, si qua exstabunt, proferre; deinde ostendere non odio neque crudelitate fecisse, quod fecerit, sed aut stultitia aut inpulsu alicuius aut aliqua honesta aut probabili causa; postea polliceri et confirmare se et hoc peccato doctum et beneficio eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore a tali ratione afuturum; deinde spem ostendere aliquo se in loco magno eis, qui sibi concesserint, usui futurum: 107. postea, si facultas erit, se aut consanguineum aut iam a maioribus viris in republica primis amicum esse; et amplitudinem suae voluntatis, nobilitatem generis, eorum, qui se salvum velint, dignitatem ostendere, et cetera ea, quae personis ad honestatem et amplitudinem sunt attributa, cum conquestione sine adrogantia, in se esse, ut honore potius aliquo quam ullo supplicio dignus esse videatur; deinde ceteros proferre, quibus maiora concessa sint. Ac multum proficiet, si se misericordem in potestate, propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atque ipsum illud peccatum erit extenuandum, ut quam minimum obfuisse videatur; et aut turpe aut inutile demonstrandum tali de homine supplicium sumere. 108. Deinde locis communibus misericordiam captare oportebit ex eis praeceptis, quae in primo libro sunt exposita. XXXVI. Adversarius autem maleficium augebit: nihil inprudenter sed omnia ex crudelitate et malitia facta dicet;

---

1. *haec quae*] *h. q;* V¹. 5. *stulticia* V. — *pulsu* V¹. 7. *ductum* S¹. — *ignoverint* S¹, *ignoscerint* V, *ignoscerent* PS². 8. *afuturum* V¹P, *defuturum* V², /////*futurum* S¹, *cautum futurum* S². — *deinde ... usui futurum* (10) om. S¹, in mrg. add. S². 9. *his* C. 10. *consanguineum* (*con* in ras.) V. 11. *viris in republica primis* W, *in primis* C, K *in primis* servato post *consang.* intulit *magnis et principibus viris* ex Victor. 288, 17: *deinde ostendat se cons. magnis ac principalibus viris vel amicum.* Sed *aut iam a maioribus* ab *cons.*, quoniam utroque unius coniunctionis perpetuitas significatur, divelli non potest. — *esse*] add. C: *demonstrabit,* del. Lindemann. 14. *adtrib.* V. 15. *arrog.* V. — *esse*] add. C: *demonstrabit,* del. Lindemann. 17. *concessa* W, *delicta concessa* VS, *concessa delicta* PK. Emblema influxit ex Vict. 288, 22. 18. *in potestate* cum uno v.! *propensum* coniunxit K. 20. *tale* V¹PS. 22. *his* C. 23. *posita* (*ex* s. *p* add.) S. — *maleficium* W, *maleficia* S¹, *maleficita* V¹, *malefacta* V²PK. Error ortus est ex pluralis numeri forma ad singularem adscripta. 24. *prudenter* VPS¹, cf. v. 5.

ipsum inmisericordem, superbum fuisse; et, si poterit, ostendet semper inimicum fuisse et amicum fieri nullo modo posse. Si beneficia proferet, aut aliqua de causa facta, non propter benevolentiam demonstrabit; aut postea odium esse acre susceptum; aut illa omnia maleficiis esse deleta; aut leviora beneficia quam maleficia; aut, cum beneficiis honos habitus sit, pro maleficio poenam sumi oportere. 109. Deinde, turpe esse aut inutile ignosci. Deinde, de quo ut potestas esset, saepe optarint, in eum iam potestate non uti summam esse stultitiam; cogitare oportere, quem animum in eum et quod odium habuerint. Locus autem communis erit indignatio maleficii et eorum misereri oportere, qui propter fortunam, non propter malitiam in miseriis sint. Quoniam ergo in generali constitutione tamdiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte varietate et dissimilitudine rerum diductus alicuius animus in quendam errorem deferatur, quid etiam nobis ex eo genere restet et quare restet, admonendum videtur.

Iuridicialem causam esse dicebamus, in qua aequi et iniqui natura et praemii aut poenae ratio quaereretur. Eas causas, in quibus de aequo et iniquo quaeritur, exposuimus. XXXVII. 110. Restat nunc, ut de praemio et de poena explicemus. Sunt enim multae causae, quae ex praemii alicuius petitione constant. Nam et apud iudices de praemio saepe accusatorum quaeritur et a senatu aut a consilio aliquod praemium saepe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari nos, cum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim de homine probando aut inprobando dicitur, cum ad eam dictionem sententiarum quoque ratio adcommodetur, id non, si per sententiae dictionem agitur, delibera-

---

3. *proferret* VS. — *beniv.* VS. 5. *aut illa ... quam maleficia* om. S^1, add. mrg. S^2. 7. *poe(nas* s. l. add) V, *poenas* S. — *denique* S^2A. 8. *iam potestate* W, *ob potestatem* V, *potestatem* P, *potestate* Sω. 9. *op//portere* V^1. 10. *quod odium* V^2, *quod optime* V^1PS^1, *quale odium et quam iuste* s. l. S^2. 11. *et* W, *et alter* C, cf. p. 119, 11. 109, 21. 13. *Quoniam ergo ... commoramur* M. 15. *diductus* Ern., *deductus* C. 17. *ammonendum* V. 18. Cf. p. 15, 9. 19. *praemia* VP. 24. *concilio* S^2. 26. *iud.* (s. l. *ri* add.) V. 28. *quoque* incl. K. — *accommodetur* C (*acom.* V), *adcommodatur* K ex cod. Erl.

tivum est; sed, quia de homine statuitur, iudiciale est habendum. Omnino autem qui diligenter omnium causarum vim et naturam cognoverit, genere et prima conformatione eas intelleget dissidere, ceteris autem partibus aptas inter se omnes et aliam in alia implicatam videbit. 111. Nunc de praemiis consideremus. L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia nullo inlustri neque certo duce neque eo nomine neque numero praeditos, ut digni essent, qui hostes populi Romani esse dicerentur, qui tamen excursionibus et latrociniis infestam provinciam redderent, consectatus est et confecit. Romam redit: triumphum ab senatu postulat. Hic et in deprecatione nihil ad nos attinet rationibus et infirmationibus rationum subponendis ad iudicationem pervenire, propterea quod, nisi alia quoque incidet constitutio aut pars constitutionis, simplex erit iudicatio et in quaestione ipsa continebitur, [in deprecatione], huiusmodi: [Oporteatne poena affici? in hac, huiusmodi] Oporteatne dari praemium? 112. Nunc ad praemii quaestionem appositos locos exponemus. XXXVIII. Ratio igitur praemii quattuor est in partes distributa: in beneficia, in hominem, in praemii genus, in facultates. Beneficia ex sua vi, ex tempore, ex animo eius, qui fecit, ex casu considerantur. Ex sua vi quaerentur hoc modo: magna an parva, facilia an difficilia, singularia sint an vulgaria, vera an falsa quadam exornatione honestentur; ex tempore autem, si tum cum indigeremus, cum ceteri non possent aut nollent opitulari, si tum cum spes deseruisset; ex animo, si non sui commodi causa, si eo consilio fecit omnia, ut hoc conficere posset; ex casu, si non fortuna, sed industria factum videbitur aut si industriae fortuna obstitisse. 113. In hominem autem, quibus rationibus vixerit, quid sumptus in eam rem aut laboris insumpserit; ecquid ali-

---

3. *genere de prima* S^2. — *confirmatione* V^1S^1P. — *intellegit* VS. 4. *in aliam* S. 5. *praemis* V^1. — *L* om. P. — *lucinius* VS. 6. *crasus* V^1, *et crassus* S. 8. *indigni* VS^1. — *qui tamen* $S^2\omega$, *qui tunc* VPS^1. 9. *excursibus* VS, sed cf. p. Deiotaro § 22. 12. *et infirm.* $S^2\omega$, *et confirm.* VS^1P. 13. *incidet* VPS^1, *incidat* S^2K. 15. *oporteatne ... huiusmodi* om. V^1, add. V^2 in mrg.: *oporteatne poena affici in p primii petiticione*, incl. W simul cum *in depr.*, cf. Vict. 290, 4. 16. *in hac* PS^1, *in praemii petitione* S^2K. 18. *quatuor* S. 23. *exornatione* Voss I, *exoratione* C, *ex ratione* ω. 28. *obstitisse* P, *obstitisset* VSω. 29. *et quid* C.

quando tale fecerit; num alieni laboris aut deorum bonitatis praemium sibi postulet; num aliquando ipse talem ob causam aliquem praemio adfici negarit oportere; aut num iam satis pro eo, quod fecerit, honos habitus sit; aut num necesse fuerit ei facere id, quod fecerit; aut num eiusmodi sit factum, ut, nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit, praemio; aut num ante tempus praemium petat et spem incertam certo venditet pretio; aut num, quod supplicium aliquod vitet, eo praemium postulet, ut de se praeiudicium factum esse videatur. XXXIX. In praemii autem genere, quid et quantum et quamobrem postuletur et quo' et quanto quaeque res praemio digna sit, considerabitur; deinde, apud maiores quibus hominibus et quibus de causis talis honos habitus sit, quaeretur; deinde, ne is honos nimium pervulgetur. 114. Atque hic eius, qui contra aliquem praemium postulantem dicet, locus erit communis: Praemia virtutis et officii sancta et casta esse oportere neque ea aut cum inprobis communicari aut in mediocribus hominibus pervulgari: et: Minus homines virtutis cupidos fore virtutis praemio pervulgato; quae enim rara et ardua sint, ea experiendo pulcra et iucunda hominibus videri; et: Si exsistant, qui apud maiores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt, nonne de sua gloria, cum pari praemio tales homines adfici videant, delibari putent? et eorum enumeratio et cum eis, quos contra dicas, conparatio. Eius autem, qui praemium petet, facti sui amplificatio, eorum, qui praemio adfecti sunt, cum suis factis contentio. 115. Deinde, ceteros a virtutis studio repulsum iri, si ipse praemio non sit adfectus. Facultates autem considerantur, cum aliquod pecuniarium praemium postulatur; in quo, utrum copiane sit agri, vectigalium, pecuniae, an penuria, consideratur.

---

3. *aff.* VS. 6. *non* $S^2\omega$, *nunc* VPS^1. 8. *precio* VS. 9. *ut* VS, *uti* Pω. 10. *praemi* V^1. 13. *quaeretur* del. K, *quaereṛetur* V. 14. *pervulgetur* Lambini amicus et Madvig de Fin. II 15, *pervagetur* C, cf. § 114. 17. *communicare* C. — *medio////cribus* V. 18. *et* W, *et aut* V, *et alter* PSω, cf. p. 122, 11. 19. *pulchra* VS. 20. *iocunda* VS. — *et* W, *et tertius* C. — *existant* VS. 22. *compari* P. — *aff.* VS. 23. *delibari* S, *deliberari* VP, in V s. l. m. 2 *iudicari* adscripsit. — *eis* C. 24. *dicas* VPS^1, *dicant* S^2. 25. *de praemio* S. — *aff.* VS (item v. 27). 28. *pecuniarium* SK Eckstein, *pecuniarum* VP. 29. *copiane* (*ne* eras.) S, *copia* ω.

Loci communes: Facultates augere, non minuere oportere, et: Inpudentem esse, qui pro beneficio non gratiam verum mercedem postulet; contra autem de pecunia ratiocinari sordidum esse, cum de gratia referenda deliberetur; et se non pretium pro facto sed honorem ita, ut factitatum sit, pro beneficio postulare. Ac de constitutionibus quidem satis dictum est: nunc de eis controversiis, quae in scripto versantur, dicendum videtur.

XL. 116. In scripto versatur controversia, cum ex scriptionis ratione aliquid dubii nascitur. Id fit ex ambiguo, ex scripto et sententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex ambiguo autem nascitur controversia, cum, quid senserit scriptor, obscurum est, quod scriptum duas pluresve res significat, ad hunc modum: Paterfamilias, cum filium heredem faceret, vasorum argenteorum centum pondo uxori suae sic legavit: HERES MEVS VXORI MEAE VASORVM ARGENTEORVM PONDO CENTVM, QVAE VOLET, DATO. Post mortem eius vasa magnifica et pretiose caelata petit a filio mater. Ille se, quae ipse vellet, debere dicit. Primum, si fieri poterit, demonstrandum est non esse ambigue scriptum, propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti solent eo verbo uno pluribusve in eam sententiam, in quam is, qui dicet, accipienda esse demonstrabit. 117. Deinde ex superiore et ex inferiore scriptura docendum id, quod quaeratur, fieri perspicuum. Quare si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia aut pleraque ambigua visum iri; quae autem ex omni considerata scriptura perspicua fiant, haec ambigua non oportere existimare. Deinde, qua in sententia scriptor fuerit, ex ceteris eius scriptis et ex factis, dictis, animo atque vita eius sumi oportebit et eam ipsam scripturam, in qua inerit illud am-

---

2. *inprud.* (*r* del.) VS. 4. *referunda* VS. — *non pretium* Leid. II, *pretium non* Cω. 5. *ut* V, *uti* PS. — *factitum* (*ta* s. *i* add.) S. 6. *his* C. 7. *versatur* (*n* s. l. add.) V, hoc v. sequitur in V ras. trium vocabulorum. 9. *dubie* C. — *et ex scr.* P. 10. *et ex sent.* C. — *et ex contr.* VP. 11. *dif.* V, *diff.* S. — *qui*(*d* s. l. add.) V. 14. *pondo* (*o* in ras.) Sω, *pondus* VP. 16. *q;* (*uae* s. l. add.) V. — *pretios*|*e* V. 17. *celata* S. — *ulet* (*el* sup. *u* add.) V. 19. *sermones* VS¹. 20. *solent* C, *soleant* ω. — *quam*|*|is* V. 21. *accipienda* W, *accipiendam* VPS¹, *accipiendum* S²ωK. 23. *perspiuum* (*c* s. l. add.) V. — *si ipsa*] *supra* P¹. 24. *iri* infra lin. V. — *quae* s. l. V. 26. *existimare* VK, *existimari* PSω.

biguum, de quo quaeretur, totam omnibus ex partibus pertemptare, si quid aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adversarius intellegat, adversetur. Nam facile, quid veri simile sit eum voluisse, qui scripsit, ex omni scriptura et ex persona scriptoris atque eis rebus, quae personis attributae sunt, considerabitur. 118. Deinde erit demonstrandum, si quid ex re ipsa dabitur facultatis, id, quod adversarius intellegat, multo minus commode fieri posse, quam id, quod nos accipimus, quod illius rei neque administratio neque exitus ullus exstet; nos quod dicamus, facile et commode transigi posse. Ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, quo facilius res intellegatur): MERETRIX CORONAM AVREAM NE HABETO; SI HABVERIT, PVBLICA ESTO, contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, possit dici neque administrationem esse ullam publicae meretricis neque exitum legis in meretrice publicanda, at in auro publicando et administrationem et exitum facilem esse et incommodi nihil inesse. XLI. 119. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adversarius intellegat, res utilior aut honestior aut magis necessaria ab scriptore neglecta videatur. Id fiet, si id, quod nos demonstrabimus, honestum aut utile aut necessarium demonstrabimus, et si id, quod ab adversariis dicetur, minime eiusmodi esse dicemus. Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adversarius intellegat, alia in re lege cautum esse doceatur. 120. Permultum autem proficiet illud demonstrare, quemadmodum scripsisset, si id, quod adversarius accipiat, fieri aut intellegi voluisset, ut in hac causa, in qua de vasis argenteis

---

1. *quaeritur* S. — *pertemtare* (*p* s. l. add.) V. 2. *interpremur* (*te* s. l. add.) V. 3. *ei quid* V^1. 5. *scripturis* (*o* sup. *u*) V. — *atque* m. 2 add. in S. — *atque ex?* 7. *re* s. l. S. — *adversarius intellegat* in ras. S. 8. *minus*] *nimis* V^1. — *commodo* V. — *nos* s. l. V. 9. *ullus*] *illius* V^1. — *extet* V. — *et nos* V. 10. *posse* om. P^1. 11. *probet* V^1P. — *fictam* P, *fictum* S, *factam* V^1, *factum* V^2. 12. *auream* errore ut videtur apud K excidit; tuetur etiam M. 13. *publicesto* (*a* sup. *c* add.) V. 14. *posset* VP, *posse* S, emendavit Lambin, cf. 120. — *publice* V. 15. *meretrices* V^1. — *meretrice////* V. — *ad in* V^1. 17. *adt.* V. 18. *nam* V. — *intellegit* S. 19. *utilior res* V^2S (*res* om. V^1). — *ab* C, *a* K errore. 20. *id fiet ... honestum* om. V^1, add. in sup. mrg. V^2 sed *nos* om. 23. *cotroversia* (*n* s. l. add.) V. 24. *re* om. S^1, tuetur etiam M. 27. *ac* (*h* s. l. add.) V.

quaeritur, possit mulier dicere nihil attinuisse adscribi, QVAE VOLET, si heredis voluntati permitteret. Eo enim non adscripto nihil esse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret. Amentiam igitur fuisse, cum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto nihilominus heredi caveretur. 121. Quare hoc genere magno opere talibus in causis uti oportebit: hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset, non isto loco verbum istud conlocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime perspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quaerendum est, ut, quid eum voluisse in eiusmodi tempore veri simile sit, intellegatur. Post ex deliberationis partibus, quid utilius et quid honestius et illi ad scribendum et his ad conprobandum sit, demonstrare, et ex eis, si quid amplificationis dabitur, communibus utrimque locis uti oportebit.

XLII. Ex scripto et sententia controversia consistit, cum alter verbis ipsis, quae scripta sunt, utitur, alter ad id, quod scriptorem sensisse dicet, omnem adiungit dictionem. 122. Scriptoris autem sententia ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare et idem velle demonstrabitur; tum ex facto aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod instituit, adcommodabitur. Semper ad idem spectare, hoc modo: Paterfamilias cum liberorum haberet nihil, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit: SI MIHI FILIVS GENITVR VNVS PLVRESVE, IS MIHI HERES ESTO. Deinde quae adsolent; postea: SI FILIVS ANTE MORITVR, QVAM IN TVTELAM SVAM VENERIT, TVM MIHI, † dicet, HERES ESTO. Filius natus non

---

1. *quaeratur* V. — *adtenuisse* V. — *asscribi* S. — *q;* V¹. 2. *heres* V¹. — *nihil inesse* ω. 3. *qu|||in* V. — *amentia* VP. 4. *agitur* P. — *asscr.* S. 5. *hoc in genere* S. 6. *magnopere* C. — *hoc modo* V¹P¹, *hoc modo si* V²S, *si hoc modo* V³P². 7. *usu(s* s. l. add.) V. 8. *his* s. l. V. — *perspicitur* om. in fine versus V¹. 12. *demonstrare* K, *demonstrandum* C. 13. *eis* W, *his* C. — *amplicationis* V¹. 16. *quae*] *q;* V¹. 18. *tum*] *eum* VP. 19. *tum* V¹PS², *cum* V²S¹. 20. *accommodatur* C. 22. *liberorum* (*rum* m. rec. del. et *s* suprascr.) *filios* V, *liberos filios* S¹, *liberorum* S². — *aut* V. Malim: *uxorem autem praegnantem*, cf. Boët. in Cic. Top. IV p. 341. 23. *genitur* V, *ginitur* (*g* sup. *n*) S, *genitus* P, in V sup. lin. m. rec. add.: *aut genitus fuerit aut gignetur*, cf. Cic. Or. II § 141. — *is* s. l. V. 24. *quae assolent* S, *quassolent* V. 25. *tum mihi* C, *tu mihi* ω. — *dicet* VPS¹, *dicebat* S². In hoc v. nomen proprium latere videtur. — *heres* C, *secundus heres* S²ω, cf. Boët. in Cic. Top. IV p. 341, et Vict. 292, 1.

est. Ambigunt adgnati cum eo, qui est heres, si filius ante, quam in suam tutelam venerit, mortuus sit. 123. In hoc genere non potest hoc dici, ad tempus et ad eventum aliquem sententiam scriptoris oportere adcommodari, propterea quod ea sola esse demonstratur, qua fretus ille, qui contra scriptum dicit, suam esse hereditatem defendit. Aliud autem genus est eorum, qui sententiam inducunt, in quo non simplex voluntas scriptoris ostenditur, quae in omne tempus et in omne factum idem valeat; sed ex quodam facto aut eventu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus iuridicialis adsumptivae maxime sustinetur. Nam tum inducitur conparatio, ut in eo, qui, cum lex aperiri portas noctu vetaret, aperuit quodam in bello et auxilia quaedam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros hostes castra haberent; 124. tum relatio criminis, ut in eo milite, qui cum communis lex omnium hominem occidere vetaret, tribunum suum, qui vim sibi adferre conaretur, occidit; tum remotio criminis, ut in eo, qui, cum lex, quibus diebus in legationem proficisceretur, praestituerat, quia sumptum quaestor non dedit, profectus non est; tum concessio per purgationem et per inprudentiam, ut in vituli immolatione, et per vim, ut in nave rostrata, et per casum, ut in Eurotae magnitudine. Quare aut ita sententia inducetur, ut unum quiddam voluisse scriptor demonstretur; aut sic, ut in eiusmodi re et tempore hoc voluisse doceatur.

XLIII. 125. Ergo is, qui scriptum defendet, his locis plerum-

---

1. *filius* om. VS. 2. *suam* om. C. 3. *aliquem* ω, *aliquam* C. 4. *acom.* V, *accom.* S. 6. *aliud* Trossii cod. in mrg. K, *illud* VP Tross. liber, *alterum* Sω. — *eorum ... inducunt* incl. K. — *rum* (*eo* s. l. add.) V. 7. *inducunt* (*d* in ras.) V. — *in quo* P, *in qua* VS. 9. *evento* V^1P^1. — *dvcitur* V^2. 10. *assumptivae* (*p* s. l. V) VS. 11. *eo* Leid. I, *eum* C. 12. *auxilio* VS. — *qudam* (*os* sup. *u* m. antiqua) V, *quosdam* S. Mihi *auxilio quosdam* scriptura videtur admodum probabilis. 13. *recipit* V^1S^1. — *ostibus* V. 15. *milite* om. P. — *qui*] *quod* P. 16. *tribunum* Baiter, *tribunum militum* V^1PS, *tribunum militem* $V^2ω$, *tribunum militarem* Lamb. — *aff.* VS. — *eonanaretur* (*na* del.) V. 17. *qui*] *quem* V. 18. *proficisceretis* V. — *sumptum* (*p* s. l.) V. 19. *tunc* P. 20. *factum ut* VP, *ut factum* (in ras.) S. — *immolationem* P. 21. *quare ... doceatur* (24) incl. K. 22. *aut quare ita* V. 25. *defendit et* PA, *defendet et* VS (in hoc *et* del.).

que omnibus, maiore quidem parte semper poterit uti: primum scriptoris conlaudatione et loco communi nihil eos, qui iudicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere; et hoc eo magis, si legitimum scriptum proferetur, id est, aut lex ipsa aut aliquid ex lege; postea, quod vehementissimum est, facti aut intentionis adversariorum cum ipso scripto contentione, quid scriptum sit, quid factum, quid iuratus iudex; quem locum multis modis variare oportebit, tum ipsum secum admirantem, quidnam contra dici possit, tum ad iudicis officium revertentem et ab eo quaerentem, quid praeterea audire aut exspectare debeat; tum ipsum adversarium quasi in testis loco producentem utrum scriptum neget esse eo modo, an a se contra factum aut contra contendi neget; utrum negare ausus sit, se dicere desiturum. 126. Si neutrum neget et contra tamen dicat: nihil esse, quo hominem inpudentiorem quisquam se visurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quasi nihil praeterea dicendum sit et quasi contra dici nihil possit, saepe id, quod scriptum est, recitando, saepe cum scripto factum adversarii confligendo atque interdum acriter ad iudicem ipsum revertendo. Quo in loco iudici demonstrandum est, quid iuratus sit, quid sequi debeat: duabus de causis iudicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure aut neget aliquid adversarius; XLIV. 127. cum et scriptum aperte sit et adversarius omnia confiteatur, eum legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato tum diluere ea, quae contra dici poterunt, oportebit. Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor et scripsisse aliud demonstrabitur, ut in illa de testamento, quam posuimus, controversia, aut causa adsumptiva inferetur, quamobrem scripto non potuerit aut non oportuerit

---

1. *quidem* W, *cum* VS, *autem* Pω, *tamen* Eckstein. 3. *sit* ω, om. V, *est* PS. — *et* s. l. S. 6. *contentione* ω, *contentionem* C. 11. *in testis* K, *intentis* P^1V, *indentis* S^1, *intantis* S^2, *intentionis* P^2, *intentantis* ω. — *producentem* W, *producendum* C, add. C: *hoc est interrogandum* (*-do* ω), del. W; *productum* [*hoc est*] *interrogando* K. 12. *a se* V, *ab se* PS. — *factum* V, *factum esse* PS. 14. *tamen*] *tunc* C. — *quo* Cω, *quod* ex Erfurtensi editores recentes. 15. *comemorari* S. 16. *quasi*] *quis* VP^2S^1 (bis). 19. *qui iuratus* VP. 23. *eum* W, *tum* V, *tum iudex* S^1, *tum iudices* S^2, *tum iudicem* P, et in V post *tum* rasura unius fere vocabuli est. 25. *autem*] *at* V^1. 26. *scriptor et scripsisse* om. V^1, add. mrg. V^2. 27. *ads.* Δ, *ass.* VS.

obtemperari. 128. Si aliud sensisse scriptor, aliud scripsisse dicetur, is, qui scripto utetur, haec dicet: non oportere de eius voluntate nos argumentari, qui, ne id facere possemus, indicium nobis reliquerit suae voluntatis; multa incommoda consequi, si instituatur, ut ab scripto recedatur. Nam et eos, qui aliquid scribant, non existimaturos id, quod scripserint, ratum futurum, et eos, qui iudicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel ab scripto recedere consueverint. Quodsi voluntas scriptoris conservanda sit, se, non adversarios, a voluntate eius stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem eum, qui ex ipsius eam litteris interpretetur, quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod ille suae voluntatis quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspitionibus perscrutetur. 129. Sin causam adferet is, qui a sententia stabit, primum erit contra dicendum: quam absurdum non negare contra legem fecisse, sed, quare fecerit, causam aliquam invenire; deinde, conversa esse omnia; ante solitos esse accusatores, ut iudicibus persuaderent adfinem esse alicuius culpae eum, qui accusaretur, causam proferre, quae eum ad peccandum inpulisset; nunc ipsum reum causam adferre, quare deliquerit. 130. Deinde hanc inducet partitionem, cuius in singulas partes multae convenient argumentationes: primum, nulla in lege ullam causam contra scriptum accipi convenire; deinde, si in ceteris legibus conveniat, hanc esse eiusmodi legem, ut in ea non oporteat; postremo, si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere. XLV. Prima pars his fere locis confirmabitur: scriptori neque ingenium neque operam neque ullam facultatem defuisse, quo minus aperte posset perscribere id, quod cogitaret;

---

1. *obtemperare* P¹. — *sensisse* s. l. add. V² (*aliud* in ras. et in *scriptor r* postea add. videtur). — *dicatur* M. 3. *possimus* V¹S¹. 5. *abs* P. — *aliquod* VS, *aliquot* P. 7. *quod*] *quid* S. — *sequatur* (*n* s. l. add.) V. 8. *consuerint* P¹. 10. *prop//ius* V, erasa scilicet *r*. 12. *scripto* om. V¹. 13. *suspic.* VS. 14. *aff.* VS. 17. *accusatoris* V¹. — *ut* add. W. 18. *persuaderent* W, *persuade* V¹, *persuadere* V²PS. — *affinem* S. 19. *proferre* C, non *adferre*, quod facili errore tradidit K. 20. *afferre* VP, *inferre* S. — *inducet* W, *inducere* C, cum mihi vitium ex *induce* ortum videatur. K add. post *partitionem oportebit*, Madvigius autem (Fin. II 103 p. 315) tueri conatur infinitivum, cf. § 138—140. 23. *si in*] *sin* V¹S¹. 24. *si in hac* V²S², *sin hac* V¹S¹, *si hac* P. 25. *mime* V¹. 28. *perscribe* V¹.

non fuisse ei grave nec difficile eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quicquam excipiendum putasset; consuesse eos, qui leges scribant, exceptionibus uti. 131. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus scriptas et maxime videre, ecquae in ea ipsa lege, qua de agatur, sit exceptio aliquo in capite aut apud eundem legis scriptorem, quo magis probetur eum fuisse excepturum, si quid excipiendum putaret; et ostendere causam accipere nihil aliud esse nisi legem tollere; ideo quod, cum semel causa consideretur, nihil attineat eam ex lege considerare, quippe quae in lege scripta non sit. Quod si sit institutum, omnibus dari causam et potestatem peccandi, cum intellexerint vos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam iurati sitis, rem iudicare; deinde et ipsis iudicibus iudicandi et ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel ab legibus recessum sit; 132. nam et iudices neque, quid sequantur, habituros, si ab eo, quod scriptum sit, recedant, neque, quo pacto aliis probare possint, quod contra legem iudicarint; et ceteros cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio et ex ea ratione, quae in mentem aut in libidinem venerit, non ex communi praescripto civitatis unam quamque rem administrarit; postea quaerere ab iudicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis; cur rei publicae munere impediantur, quo setius suis rebus et commodis servire possint; cur in certa verba iurent; cur certo tempore conveniant, certo discedant, nihil quisquam adferat causae, quo minus frequenter operam rei publicae det, nisi quae causa in lege excepta sit; an se legibus obstrictos in tantis molestiis esse aequum censeant, adversarios nostros leges neglegere concedant; 133. deinde [item quaerere ab iudicibus],

---

2. *qucquam* (*i* s. l. add.) V. 4. *ecquae* Orelli, *haec quae* VP, *haec quaeq,* S^1, *si qua* $S^2\omega$. 8. *excipere* V^2. — *cum* s. l. V. 11. *et potestatem* om. S^1, add. mrg. S^2. 13. *estis* S. 14. *ab* C, *a* ω. 15. *sequatur* VS^1, cf. p. 130, 7. 17. *probare* V^1P^1, *improbare* V^2S. 18. *agant* (altera *a* corr.) V, ut *agunt* scriptum fuisse videatur. — *et* s. l. S. 20. *quamque* (*que* corr.) V. — *administrarit* S Erf., *amministrabit* (*b* corr.) V, *administrabit* Pω. 22. *cur*] *cum* P^1. — *a munere* P^2. — *quo setius* Schuetz S^2, *quos sepius* S^1, *quos* (*quo* P) *sepius etius* VP, *quos sepius setius* AT. 25. *aff.* VS. 26. *in tantis... neglegere* (28) om. S^1, in mrg. add. S^2. 27. *molestis* V^1. — *censeat* V^1. 28. *Deinde item quaerere* M. — *item quaerere ab iudicibus* incl. K.

si eius rei, propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat, passurine sint; oporteatne hoc, quod faciat, indignius et inpudentius esse, quam si adscribat; age porro, quid, si ipsi vellent iudices adscribere, passurusne sit populus? at quid hoc esse indignius quam, quam rem verbo et litteris mutare non possint, eam re ipsa et iudicio maximo commutare; 134. deinde indignum esse de lege aliquid derogari aut legem abrogari aut aliqua ex parte commutari, cum populo cognoscendi et probandi aut inprobandi potestas nulla fiat; hoc ipsis iudicibus invidiosissimum futurum; non hunc locum esse neque hoc tempus legum corrigendarum; apud populum haec et per populum agi convenire; quodsi nunc id agant, velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi; se actionem videre et dissuadere velle; quodsi haec cum summe inutilia, tum multo turpissima sint, legem, cuicuimodi sit, in praesentia conservari ab iudicibus, post, si displiceat, a populo corrigi convenire; deinde, si scriptum non exstaret, magno opere quaereremus neque isti, ne si extra periculum quidem esset, crederemus; nunc cum scriptum sit, amentiam esse eius, qui peccarit, potius quam legis ipsius verba cognoscere. His et huiusmodi rationibus ostenditur causam extra scriptum accipi non oportere. XLVI. 135. Secunda pars est, in qua est ostendendum, si in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas videbitur pertinere; aut inutile aut turpe aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare; aut ita lex diligenter perscripta demonstrabitur, ita cautum una quaque de re, ita quod oportuerit exceptum, ut minime con-

---

1. *rei* s. l. S, add. VP *causa,* S *causae,* del. Ernesti; *eius causae* K. 2. *asscr.* S. — *oporteatne* W, *postea* C, incl. K, idemque ci.: *atqui.* 3. *quam sit quod adscribat* V^2. — *adscribatur* S. 4. *vellent* VPS^2, *velent* S^1, *velint* ω. 5. *passurosne* V^1. — *at quid hoc* W, *aut quid hoc* V^2, *atque hoc* V^1PS, *atqui hoc* K. — *quam, quam* W, *quam* C. 6. *possent* S. 7. *maximo* CK, *maxime* ω. 13. *agant* S^2, *agunt* VPS^1. 14. *actionem* W, *actiones* C, *captiones* Schuetz, *rogationes* K. Nihil adhuc quod commodum esset mihi inventum videtur, an *auctores?* 15. *cuicuimodi* Lambin., *huiuscemodi* V^1S, *cuiuscemodi* $V^2P\omega$. 17. *extaret* VS. — *magnopere* C. 18. *isti ne* ω, om. S^1, *isti neque* VPS^2. — *si] nisi* P^2. — *esset quidem* S. 19. *eius* Leid. II, *eius rei* C, *eius rationem* K. 20. *peccaret* VS. 24. *ad* s. l. V.

veniat quicquam in tam diligenti scriptura praeteritum arbitrari. Tertius est locus ei, qui pro scripto dicet, maxime necessarius, per quem oportet ostendat, si conveniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quae ab adversariis adferatur. 136. Qui locus idcirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicet, aequitatis aliquid adferat oportet. Nam summa inpudentia sit eum, qui contra quam scriptum sit, aliquid probare velit, non aequitatis praesidio id facere conari. Si quid igitur ex hac ipsa accusator derogat, omnibus partibus iustius et probabilius accusare videatur. Nam superior oratio hoc omnis faciebat, ut, iudices etiamsi nollent, necesse esset; haec autem, etiamsi necesse non esset, ut vellent contra iudicare. 137. Id autem fiet, si, quibus ex locis culpa demonstrabitur esse in eo, qui conparatione aut remotione aut relatione criminis aut concessionis partibus se defendet, (de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscripsimus,) ex eis locis, quae res postulabit, ad causam adversariorum inprobandam transferemus; aut causae et rationes adferentur, quare et quo consilio ita sit in lege aut in testamento scriptum; ut sententia quoque et voluntate scriptoris, non ipsa solum scriptura causa confirmata esse videatur; [aut aliis quoque constitutionibus factum coarguetur].

XLVII. 138. Contra scriptum autem qui dicet, primum inducet eum locum, per quem aequitas causae demonstretur; aut ostendet, quo animo, quo consilio, qua de causa fecerit; et, quamcunque causam adsumet, adsumptionis partibus se defendet, de quibus ante dictum est. Atque in hoc loco cum diutius commoratus sui facti rationem et aequitatem causae exornaverit, tum ex his locis fere contra adversarios dicet oportere causas accipi. Demonstrabit nullam esse legem, quae aliquam rem inutilem aut

---

3. *scriptam* V. 4. *eam tunc* VS¹. — *aff.* VS (item v. 6. 18). 7. *quam quod* ω. 8. *probari* VS. 9. *ex ac* (*h* sup. *a* add.) V. — *ipsa*] Add. M *quippiam*, ω *quidpiam*, del. Baiter, cf. § 142. — *accussator* (altera *s* erasa) V. — *deroget* ωM. 11. *ut* VS, *uti* P. 12. *ut* s. l. add. V². 15. *defendet* ex Erf. K, *defendit* C. 16. *ex eis locis* W, *si his locis* C, *si eis ex locis* K. 18. *quo consilio* ω, *quod consilium* VS¹. 20. *scripturis* S¹. — *scriptura* Schuetz, *scripturae* C. 21. *aut aliis ... coarguetur* om. Voss. I, incl. K. 22 *Contra ... demonstretur* M. 25. *ass.* (bis) VS. — *defendet* S²ω, *defendit* VPS¹. 27. *facto* S¹. — *tum ex his ... fieri velit* (p. 134, 1) om. S¹, add. in mrg. S². 28. *fere*] *ferre* V. — *accipe* V¹.

iniquam fieri velit; omnia supplicia, quae ab legibus proficiscantur, culpae ac malitiae vindicandae causa constituta esse; 139. scriptorem ipsum, si exsistat, factum hoc probaturum et idem ipsum, si ei talis res accidisset, facturum fuisse; ea re legis scriptorem certo ex ordine iudices certa aetate praeditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, quod quivis puer facere posset, sed qui cogitationem adsequi possent et voluntatem interpretari; deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus et barbaris iudicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse; nunc vero, quod intellegeret, quales viri res iudicaturi essent, idcirco eum, quae perspicua videret esse, non adscripsisse; neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit; 140. postea quaerere ab adversariis: Quid, si hoc fecisset? Quid, si hoc accidisset? Eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima aut necessitudo certissima, tamenne accusarent? Atqui lex nusquam excepit; non omnia ergo scriptis, sed quaedam, quae perspicua sint, tacitis exceptionibus caveri; deinde nullam rem neque legibus neque scriptura ulla, denique ne in sermone quidem cotidiano atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unus quisque velit verba spectare et non ad voluntatem eius, qui ea verba habuerit, accedere; XLVIII. 141. deinde ex utilitatis et honestatis partibus ostendere, quam inutile aut quam turpe sit id, quod adversarii dicant fieri oportuisse aut oportere, et id, quod nos fecerimus aut postulemus, quam utile aut quam honestum sit; deinde leges nobis caras esse non propter litteras, quae tenues et obscurae notae sint voluntatis, sed propter earum rerum, quibus de scri-

---

1. *ab legibus* Cω, *ab lege* tamquam ex PTAR Kayser, sed hoc quidem nescio qua re inductus erravit. 2. *militiae* V¹. 3. *existat* VS. — *probaturum* (*u* in ras. et *rum* s. l. m. 2) V. 4. *ex ea re* S². 7. *sed* (*d* s. l. add.) V. — *cogitationem* VS, *cogitatione* PK, sed cf. ad Att. XII 35, 2: *ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.* Ablativum si posueris, verbum assequi suo obiecto carere videtur, ut potius requiras: *sed qui cogitatione voluntatem assequi et interpretari possent,* cf. v. 13. — *assequi* VS. 10. *qualis* V¹P¹. 11. *quae*] *qui* V¹. 12. *scripti* (*ti* s. l.) V. 13. *voluntate* V¹. 14. *fecisset* ATK, *fecissem* C. — *quid si* (altero loco) om. S¹. 16. *tamenne* S²AT, *tunc ne* VPS¹. — *accusaretis* ω. — *atqui* PS², *atque* VS¹. — *hoc lex* S², *haec lex* Sch (Leidensis Ecksteinii). 21. *spectare* ω, *expectare* C. 24. *fiere* V¹. 25. *legis* VS¹. 26. *curas* VP¹S¹, *caras* S², *curae* P².

ptum est, utilitatem et eorum, qui scripserint, sapientiam et diligentiam; postea, quid sit lex, discribere, ut ea videatur in sententiis, non in verbis consistere; et iudex is videatur legi obtemperare, qui sententiam eius, non qui scripturam sequatur; deinde, quam indignum sit eodem adfici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra leges fecerit, et eum, qui honesta aut necessaria de causa non ab sententia sed ab litteris legis recesserit; atque his et huiusmodi rationibus et accipi causam et in hac lege accipi et eam causam, quam ipse adferat, oportere accipi demonstrabit. 142. Et quemadmodum ei dicebamus, qui ab scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de aequitate ea, quae cum adversario staret, derogasset, sic huic, qui contra scriptum dicet, plurimum proderit, ex ipsa scriptura aliquid ad suam causam convertere aut ambigue aliquid scriptum ostendere; deinde ex illo ambiguo eam partem, quae sibi prosit, defendere aut verbi definitionem inducere et illius verbi vim, quo urgueri videatur, ad suae causae commodum traducere aut ex scripto non scriptum aliquid inducere per ratiocinationem, de qua post dicemus. 143. Quamcumque autem rem quamvis leviter probabili scripto ipse defenderit, cum aequitate causa abundabit, necessario multum proficiet, ideo quod, si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit, omnem etiam illorum vim et acrimoniam lenierit ac diluerit. Loci autem communes ceteris ex adsumptionis partibus in utramque partem convenient. Praeterea autem eius, qui a scripto dicet: leges ex se, non ex eius, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere et legibus antiquius haberi nihil oportere. Contra scriptum:

---

2. *quid sit*] *quod si* VP¹ (*sit* corr. S), *quid si* P². — *descr.* Cω. — *describere*/// S. 3. *et* corr. S. — *his* (*h* del.) V. 5. *aff.* VS. 6. *aliquid* VS. — *audatiem* V¹. 9. *legem* S. 10. *aff.* VS. — *et*] *ei* P. 12. *qua* (*a* in ras.) S. 14. *aliquod* P¹. 16. *dif.* V, *diff.* SP. 18. *aliquid* VSM, *aliquod* PωK. 19. *quamcumque autem rem* VS, *quacumque re autem* P, *quacumque autem in re* Vulg. 20. *quamvis leviter probabili* incl. K. — *probabilem* S. — *ipse* (*se* in ras.) S, *ipso* P, *ipso se* V. — *cum* VS¹, *etiam cum* S²P. 21. *habundabit* VS. 22. *etiam* W, *eius* C, incl. K. — *illorum* W, *illam* C. 23. *loci*... *convenient* (25) M. 24. *ceteri* Ern. cum P². — *ass.* VS. 25. *praeterea autem* VP, *postea autem* S, *ceteris*...*praeterea autem* incl. K. — *asscripto* VS¹. — *legis* V¹. 27. *antiquius* V², *ante quos* V¹. — *contra scr.*] *conscriptum* V.

leges in consilio scriptoris et utilitate communi, non in verbis consistere; quam indignum sit aequitatem litteris urgueri, quae voluntate eius, qui scripserit, defendatur.

XLIX. 144. Ex contrariis autem legibus controversia nascitur, cum inter se duae videntur leges aut plures discrepare, hoc modo: Lex: QVI TYRANNVM OCCIDERIT, OLYMPIONICARVM PRAEMIA CAPITO ET QVAM VOLET SIBI REM A MAGISTRATV DEPOSCITO ET MAGISTRATVS EI CONCEDITO. Et altera lex: TYRANNO OCCISO QVINQVE EIVS PROXIMOS COGNATIONE MAGISTRATVS NECATO. Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cum simul cubaret, occidit. Haec filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in praemii loco deposcit. Sunt qui ex lege occidi puerum dicant oportere. Res in iudicio est. In hoc genere utramque in partem eidem loci atque eadem praecepta convenient, ideo quod uterque suam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. 145. Primum igitur leges oportet contendere considerando, utra lex ad maiores, hoc est ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat; ex quo conficitur, ut, si leges duae aut si plures erunt, eae quotquot erunt conservari non possint, quia discrepent inter se, sed ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur; deinde, utra lex posterius lata sit; nam postrema quaeque gravissima est; deinde, utra lex iubeat aliquid, utra permittat; nam id, quod imperatur, necessarium, illud, quod permittitur, voluntarium est; deinde in utra lege, si non obtemperatum sit, poena adiciatur aut in utra maior poena statuatur; 146. nam maxime conservanda est ea, quae diligentissime sancta est; deinde, utra lex iubeat, utra vetet; nam saepe ea, quae vetat,

---

1. *legis* VS¹. — *utilitati* VP. — *cummuni* V. 3. *voluntati* V¹P. 6. *olimpionicarum* V, *olimpi...carum* P, *olimpicarum* S¹. — *praemio* V¹P¹. 7. *capio*(*t* s. l. add.) V. 9. *que apud phereis* V¹. 10. *thesalia* VS. — *tebe* V. 11. *cubarent* V². 12. *deposcet* V. 14. *idem* C. — *idem* corr. in *eadem* (m. 2) V. — *praecepto* V¹. 15. *ideo quod*] *ideoque* VPS¹. — *confirmare* om. V. 17. *considerandum* VS¹. 18. *onestiores* V. 19. *eae quotquot* W, *aut quotquot* S²K, *aut quot* S¹V², *aut quod* P, *aut quo* V¹. An: *eae quaecumque?* 20. *possent* V¹P. 21. *maximae* P. 22. *videantur* (*n* del) V. 23. *aliquod* V. 24. *inperatur* V. 26. *sit* om. S¹. — *adiciatur* Oudendorp, *afficiatur* C, del. K cum Schuetzio, cf. Vict. 298, 17.

quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quae iubet; deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur; nam quae in partem aliquam et quae in certam quandam rem scripta est, propius ad causam accedere videtur et ad iudicium magis pertinere; deinde, ex lege utrum statim fieri necesse sit, utrum habeat aliquam moram et sustentationem; nam id, quod statim faciendum est, perfici prius oportet; 147. deinde operam dare, ut sua lex ipso scripto videatur niti, contraria autem aut per ambiguum aut per ratiocinationem aut per definitionem induci, uti sanctius et firmius id videatur esse, quod apertius scriptum sit; deinde suae legi ad scriptum ipsum sententiam quoque adiungere, contrariam legem item ad aliam sententiam transducere, ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se; postremo facere, si causa facultatem dabit, ut nostra ratione utraque lex conservari videatur, adversariorum ratione altera sit necessario neglegenda. Locos autem communes et quos ipsa causa det videre oportebit, et ex utilitatis et ex honestatis amplissimis partibus sumere demonstrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

L. 148. Ex ratiocinatione nascitur controversia, cum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, venitur, hoc pacto: Lex: SI FVRIOSVS ESCIT, ADGNATVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. Et lex: PATERFAMILIAS VTI SVPER FAMILIA PECVNIAQVE SVA LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Et lex: SI PATERFAMILIAS

---

1. *videatur* VS¹ (*a* del.). 3. *pluris* V. 4. *nam quae*] *nam q;* V¹. 5. *propius* ω, *promptus* C, *promptius* V²P²S². — *ad*] *est ad* VS¹; an: *ea ad?* 7. *aliqui* V. 8. *est* K, *sit* C. 9. *niti* P²S², *uti* VP¹S¹. 10. *diff.* VS. 11. *uti* K, om. C. 12. *ipsum* C, *ipsam* S²ω. 14. *poterit* om. V¹P¹, *potuerit fieri* P², *potest fieri* V²S. — *videantur quidem* S. 16. *oratione* C. — *utra* (om. *que*) VS¹. 17. *necessaria* V¹. 18. *et honestatis* ω, *et ex honestatis* PS², om. VS¹. 19. *amplissimas* V¹. 20. *legi* V. 22. *quod* (pr. l.) V²S², *quid* V¹S¹. — *id* om. VS¹. 23. *lex est* P². — *escit* Bouherius ad Tusc. III 11, *existet* Cornif. I 23, *est* C (erravit Schoell cum *erit* tradidit, cf. Legis XII Tab. Rel. ed. R. Schoell p. 130). — *agnatum* C, *agnatorum* S². 24. *lex est* P². — *patrifamilias* V². — *super familias* (*s* del) V. 25. *pecunique* (*a* s. l. add.) V, an ex: *pecuniave?* Cf. Schoell p. 127. — *legassit* P¹, *legessit* (*n* sup. *i* add.) V, *legesit* S¹, *legasset* P², *legaverit* S²ω. — *lex est* P².

INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS ADGNATVM GENTILIVMQVE ESTO. 149. Quidam iudicatus est parentem occidisse, et [statim], quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes inditae sunt; os autem obvolutum est folliculo et praeligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ubi esset tantisper, dum culleus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas adferunt et testes adducunt; heredes, quos ipsis libet, scribunt; tabulae obsignantur. De illo post supplicium sumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis scripti sunt, et inter adgnatos de hereditate controversia est. Hic certa lex, quae testamenti faciendi eis, qui in eo loco sint, adimat potestatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus et quae hunc ipsum supplicio huiusmodi adficiunt et quae ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniendum est ad eiusmodi rationem, ut quaeratur, habueritne testamenti faciendi potestatem. 150. Locos autem communes in hoc genere argumentandi hos et huiusmodi quosdam esse arbitramur: primum eius scripti, quod proferas, laudationem et confirmationem; deinde eius rei, qua de quaeritur, cum eo, de quo constat, conlationem eiusmodi, ut id, de quo quaeritur, rei, de qua constet, simile esse videatur; postea admirationem per contentionem, qui fieri possit, ut, qui hoc aequum esse concedat, illud neget, quod aut aequius aut eodem sit in genere; deinde idcirco de hac re nihil esse scriptum, quod, cum de illa esset scriptum, de hac is, qui scribebat, dubitaturum neminem arbi-

---

1. *intestatus* P². — *agnatum* C, *agnatorum* S². 2. *et statim* VSω, *ei statim* P, editores. Mihi *statim* ex Cornif. I 23 additum videtur. 3. *quod... non fuit* incl. K. — *ligneae* (*e* ex *i* aut *t* corr. videtur) V. — *solae* V¹. 4. *inditae* VS, *indi..tae* P, *inductae* ω. Editores ante K: *indutae*. Eadem scripturae variatio est apud Apul. met. II 28 p. 140 Hild. — *follico* (hinc *follicolo*, deinde *folliculo* corr.) V. 6. *culleus* VS, cf. Fleckeisen l. l. p. 15. — *in quem*] *intiuem* V¹. — *deferetur* (*r* sup. *er* add.) V. 7. *eius* om. P. — *familires* (*a* sup. *ir* add.) V. — *aff.* VS. 8. *ipse iubet* V (sed *iubet* corr. est). In archetypo *ipse libet* (*u* sup. *i*) fuisse videtur. 9. *tubulae* S¹. — *obsignatur* (*n* sup. *na* add.) V. 10. *quiqui* V. — *agnatos* VS. 11. *his* C. 13. *et qui* VS¹. — *eiusmodi* VS. — *aff.* VS. 15. *venundum* V¹. 19. *quaeritur* ω, *quaeratur* C. 20. *constat* ω, *constet* C. — *coll.* C. 21. *quo* VP. — *constat* K. — *per contentionem* P²S², *per contionem* VP¹S¹. 24. *de illa re* S². — *esse* V.

tratus sit; 151. postea multis in legibus multa praeterita esse, quae idcirco praeterita nemo arbitretur, quod ex ceteris, de quibus scriptum sit, intellegi possint; deinde aequitas rei demonstranda est, ut in iuridiciali absoluta. Contra autem qui dicet, similitudinem infirmare debebit; quod faciet, si demonstrabit illud, quod conferatur, diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; si, quo in numero illud, quod per similitudinem adferetur, et quo in loco illud, cuius causa adferetur, haberi conveniat, ostendet; deinde, quid res cum re differat, demonstrabit, ut non idem videatur de utraque existimari oportere. 152. Ac si ipse quoque poterit ratiocinationibus uti, eisdem rationibus, quibus ante praeceptum est, utetur; si non poterit, negabit oportere quicquam, nisi quod scriptum sit, considerare; multas de similibus rebus, sed in unam quamque rem tamen singulas esse leges; omnia posse inter se vel similia vel dissimilia demonstrari. Loci communes: a ratiocinatione, oportere coniectura ex eo, quod scriptum sit, ad id, quod non sit scriptum, pervenire; et neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, ut quaedam ex quibusdam intellegantur; 153. contra ratiocinationem huiusmodi: coniecturam divinationem esse et stulti scriptoris esse non posse omnibus de rebus cavere, quibus velit.

LI. Definitio est, cum in scripto verbum aliquod est positum, cuius de vi quaeritur, hoc modo: Lex: QVI IN ADVERSA TEMPESTATE NAVEM RELIQVERINT, OMNIA AMITTVNTO; EORVM NAVIS ET ONERA

2. *arbitratur* S. 3. *possit* VP¹S¹. — *aequatas* V¹. 4. *negotiali* C. — *autem* S¹, *hec* S². 5. *faciet* (*iet* evanuit in V). 6. *conferatur*] Add. ω: *ab eo cui conferatur*, del. K. 9. *afferetur* VP, *affertur* S (itemque utrique codices paulo post). — *ostendet* W, *ostendetur* P, *ostenditur* VS. — *ostendet ... oportere* (11) incl. K. — *qui* V. 10. *demonstrabit* W, *demonstrabitur* C. 11. *existimare* V¹. 12. *uti eisdem rationibus* om. P¹, *utisdem* VP corr., *aut isdem* S¹, *uti isdem* S². — *praeceptum* W, *praedictum* C, *dictum* cum Ernestio K. 13. *quicquid* VS¹. 14. Post *considerare* in paucis et malis codd. haec leguntur: *periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur, nihil esse paene, quod non alteri simile esse videatur*, del. Ern. — *multis* VP. — *sed in* W, *et in* PATS², *et* VS¹. 15. *tamen* P²S²K, *tunc* VS¹, *tum* P¹, et hinc mali quidam libri et Vulg. *tantum*. — *leges* om. P¹. 16. *disimilia* V. 17. *coniecturam* V. 20. *curat* P¹. 21. *divinationem* V²PS, *diffinitionem* V¹. 22. *scriptores* V¹. — *esse* om. V¹. — *uellit* V. 24. *lex est* P², cf. p. 137, 23. 24. 25. 25. *relinquerint* V, *reliquerint* (*int* in ras.) S. — *naves* VP¹.

SVNTO, QVI IN NAVE REMANSERINT. Duo quidam, cum iam in alto navigarent, et cum eorum alterius navis, alterius onus esset, naufragum quendam natantem et manus ad se tendentem animum adverterunt; misericordia commoti navem ad eum applicarunt, hominem ad se sustulerunt. 154. Postea aliquanto ipsos quoque tempestas vehementius iactare coepit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham adnexam trahebat, navi, quoad posset, moderaretur; ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit et navi, quod potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus et tempestate iam commutata navis in portum pervehitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius facile ex vulnere est recreatus. Navem cum onere horum trium suam quisque esse dicit. Hic omnes scripto ad causam accedunt et ex nominis vi nascitur controversia. Nam et relinquere navem et remanere in navi, denique navis ipsa quid sit, definitionibus quaeretur. Eisdem autem ex locis, ex quibus definitiva constitutio, tractabitur.

155. Nunc expositis eis argumentationibus, quae in iudiciale causarum genus adcommodantur, deinceps in deliberativum genus et demonstrativum argumentandi locos et praecepta dabimus, non quo non in aliqua constitutione omnis semper causa versetur, sed quia proprii tamen harum causarum quidam loci sunt non a constitutione separati, sed ad fines horum generum adcommodati. 156. Nam placet in iudiciali genere finem esse aequitatem, hoc est partem quandam honestatis. In deliberativo autem Aristoteli placet utilitatem, nobis et honestatem et utilitatem, in demonstrativo honestatem. Quare in quocumque genere erunt causae, quaedam argumentationes communiter ac si-

---

3. ante *animum* ras. est in S. 4. *aplic.* V, *adplic.* S. 9. *quoad* S^2, *quod* VP, *quo*// S^1. 10. *ibidem* Ern., *in navi ibidem* C, *ib. inn.* Alb. 11. *quod* C, *quoad* Kω. 13. *sautius* S. — *facie* (*l* s. l. add.) V. 16. *navem et*P, *nam et* VS^1, *navim et* S^2. 18. *quaeritur* S. — *hisdem* VS, *isdem* P. — *ex locis* VS, *locis ex* P. — *ex quibus* W, *omnibus* VS^1, *omnibus quibus* S^2P. 20. *his* C. 22. *genus* om. M. 24. *sed qui* V^1S^1, *sed quia* PV^2S^2. — *tamen* P^2, *tunc* VS^1, *tum* P^1. 26. *acomm.* VS. 28. *ut aristoteli* S^2, sc. ex Vict. 300, 39. — *et inutilitate* V. 29. *quocumque* W, *hoc quoque* C, *quoque* K. — *genere erunt* W, *genere* C.

militer tractabuntur, quaedam separatius ad finem, quo referri omnem orationem oportet, adiungentur. Atque unius cuiusque constitutionis exemplum subponere non gravaremur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscurare dicendo fierent apertiores, sic res apertas obscuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis praecepta pergamus.

LII. 157. Rerum expetendarum tria genera sunt; par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua vi nos adliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate; quod genus virtus, scientia, veritas est. Aliud autem est non propter suam vim et naturam sed propter fructum atque utilitatem petendum; quod genus pecunia est. Est porro quiddam ex horum partibus iunctum, quod et sua vi et dignitate nos inlectos ducit et prae se quandam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intellegentur. 158. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quae posuimus, brevi nominabuntur. Nam, in primo genere quae sunt, honesta appellabuntur; quae autem in secundo, utilia. Haec autem tertia, quia partem honestatis continent et quia maior est vis honestatis, iuncta esse omnino ex duplici genere intelleguntur, sed in meliorem partem vocabuli conferantur et honesta nominentur. Ex his illud conficitur, ut petendarum rerum partes sint honestas et utilitas, vitandarum turpitudo et inutilitas. His igitur duabus rebus res duae grandes sunt attributae, necessitudo et adfectio; quarum altera ex vi, altera ex re et personis consideratur. De utraque post apertius perscribemus; nunc honestatis rationes primum explicemus.

LIII. 159. Quod aut totum aut aliqua ex parte propter se

---

4. *viderimus* VS¹. — *fierint* VS¹, *fuerint* P. 9. *adliceat* P, *alliceat* V, *alliciat* S. — *emulomento* V¹. 10. Vulgo: *veritas. Est aliud,* praeterquam quod K coniecit: *quod genus est ... veritas; est aliud.* Cf. Lachmann ad Lucr. II 194. 11. *aliud autem est* W, *aliud autem* C (etiam V, nam K erravit). 12. *genus* om. Cω, quod quis primus adiecerit nescimus. 13. *quoddam* K. 14. *inlectos* Leid. II, *inductos* C, sed *inductos ducit* Cicero consociasse non potest. — *prae*] *per* V. 15. *expectatur* V¹PS¹. 16. *quae facile* S. 18. *appellantur* (*ntur* in ras.) S. 19. *autem* incl. K. 20. *honestatis et utilitatis continent* S². 21. *iunctae res omnino* ω. — *intelleguntur* C, *intellegentur* ωK. 23. *petendarum* VP¹, *appetendarum* P²S. 25. *adtr.* V. — *aff.* VS.

petitur, honestum nominabimus. Quare, cum eius duae partes sint, quarum altera simplex, altera iuncta sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus. Nam virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus. Quamobrem omnibus eius partibus cognitis tota vis erit simplicis honestatis consideranda. Habet igitur partes quattuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. 160. Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia. Partes eius: memoria, intellegentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt; intellegentia, per quam ea perspicit, quae sunt; providentia per quam futurum aliquid videt ante quam factum est. Iustitia est habitus animi communi utilitate conservata suam cuique tribuens dignitatem. Eius initium est ab natura profectum; deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea res et ab natura profectas et ab consuetudine probatas legum metus et religio sanxit. 161. Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis insevit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque adfert; pietas, per quam sanguine coniunctis patriaeque benevolum officium et diligens tribuitur cultus; gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur; vindicatio, per quam vis aut iniuria et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur; observantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur; 162. veritas, per quam inmutata ea, quae sunt aut fuerunt aut futura sunt, dicuntur. LIV. Consuetudine ius est, quod aut leviter a natura tractum aluit et maius fecit usus, ut religionem; aut quod

---

2. *sunt* Cω: „id quod requireret *quoniam* pro *cum* et deinde *est* pro *sit*." Baiter. 7. *quartuor* V. 9. *neutrarumque* Lamb., *utrarum* C. 12. *videt* Schuetz, *videtur* C, cf. Alb. 548, 29. — *est* C, *sit* ω. 17. *natura ius* ω, *natura eius* P^1, *naturae ius* P^2VS. 18. *innata* $S^2ω$, *innatura* VPS^1. — *insevit* Lamb.; *inseruit* C. 20. *superiores* S^1. — *cerim.* VS. 21. *aff.* VS. 22. *benevolum* Orelli, *benivolis* C Alb. 25. *est* om. VS^1. 28. *aut* M, *ante//aut* V, *ante aut* S, *aut ante* Pω. — *fuerunt* (altera *u* corr.) V. 30. *aluit* Pω, *ualuit* VS. — *regionem* (*le* s. l. add.) V. — *religionem*] Add. C: *aut* (*ut* V^1P^1) *si quid eorum quae ante diximus*

in morem vetustas vulgi adprobatione perduxit; quod genus pactum est, par, iudicatum. Pactum est, quod inter aliquos convenit; par, quod in omnes aequabile est; iudicatum, de quo alicuius aut aliquorum iam sententiis constitutum est. Lege ius est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur. 163. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Eius partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio; fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe conlocavit; patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio; 164. perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Eius partes continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur; clementia, per quam animi temere in odium alicuius [iniectionis] concitati comitate retinentur; modestia, per quam pudor honestatis curam et stabilem comparat auctoritatem. Atque haec omnia propter se solum, ut nihil adiungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet et a brevitate praecipiendi remotum est. 165. Propter se autem vitanda sunt non ea modo, quae his contraria sunt, ut fortitudini ignavia et iustitiae iniustitia, verum etiam illa, quae propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime; quod genus fidentiae contrarium est diffidentia et ea re vitium est; audacia non contra-

---

ab natura profectum maius factum propter consuetudinem videmus, del. cum Schuetzio K. 1. *in mortem* VAT. — *adprobationem* VS. 2. *est* PS, (in ras.) V. — *par* in ras. V. 4. *legis* S^2. 9. *cogitatio* C, *agitatio* ω. 10. *ammin.* VS. — *magnis* om. VS^1, *magnis et* om. P. 11. *colocavit* S. 16. *partes sunt* Alb. Ernesti. 19. *iniectionis* VP^1S, *invectionis* P^2, *inferioris* Lamb., *invectione* Gesner, *concitati invectiones* Garatoni ad Planc. p. 274, *innocentis* K, cui Senecae quidem doctrina repugnat, qui inter innocentes clementiam cessare dixit. 20. *honestatis* W, *honestius* V^1P^1, *honestus* V^2S, *honesti* P^2ω. 23. *a* om. VP, s. l. add. S, nam praeter hunc locum et Or. § 5 constans dicendi usus Ciceronis *remotus ab aliquo* librorum auctoritate confirmatur. 28. *diffidentiae* V. — *audatia* S (item p. 144, 3).

rium, sed appositum est ac propinquum et tamen vitium est. Sic uni cuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo iam nomine appellatum, ut audacia, quae fidentiae, pertinacia, quae perseverantiae finitima est, superstitio, quae religioni propinqua est, aut sine ullo certo nomine. Quae omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponentur. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

LV. 166. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adiungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quae nos cum dignitate tum fructu suo ducunt; quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude; dignitas est alicuius honesta et cultu et honore et verecundia digna auctoritas; amplitudo potentiae aut maiestatis aut aliquarum copiarum magna abundantia; amicitia voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate. 167. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur; ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimant, reprehendere incipiant. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam; sunt qui propter se solum; sunt qui propter se et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam. 168. Ami-

---

1. *tamen* ω, *tunc* VP¹S. 3. *quae* (altero loco) om. S¹. 4. *superstitutio* V. 5. *aut*] *ut* V¹. — *quae*] *q;* V¹. 6. *reponentur* VP, *reponuntur* S¹, *reponemus* S²ω. 7. *ex omni parte* K, unde aut cur ita scripserit, incertum relinquens. 10. *quod ... videtur* om. V¹, in mrg. inferiore add. V². — *tamen*] *tunc* VPS¹. 11. *tum fructu* Halm ad Vict. 303, 4; *tum* (*tunc* P) *quoque fructu* Cω, *tum fructu quoque* Editores. 13. *est* VS, om. PωK. 15. *potentia* R 20. *existimaN* (i. e. *-ant*) VS, *existimans* PAT. — *incipiant* VS, *incipiat* PAT. Ex hac librorum notitia illud perspicuum est, in archetypo non *existimans* sed aut *existimant* aut *existiman* scriptum fuisse, singularem autem *incipiat* a librariis ad participium adcommodatum esse. 21. *petendam* PV, *petendas* SK. 22. *amicias* V (*as* in ras.), *amicitias* SK. 24. *considerandi* Lamb., *considerandus* C. 24. *oratorum* P. 25. *amicitiam* VP¹S, *amicitias* P²K. — *expetendam* VS, *expetendas* PK.

citiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus iunctae, partim non sunt, et quia partim veteres sunt, partim novae, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles, ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur. LVI. Utilitas autem aut in corpore posita est aut in extrariis rebus; quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, ut in re publica quaedam sunt, quae, ut sic dicam, ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classis, nautae, milites, socii, quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates; aliae vero, quae iam quiddam magis amplum et minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo, ut quaedam excellens pecuniae magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. 169. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, verum etiam, ut amplae atque potentes sint civitates. Quare utilitatis duae partes videntur esse, incolumitas et potentia. Incolumitas est salutis rata atque integra conservatio; potentia est ad sua conservanda et alterius obtinenda idonearum rerum facultas. Atque in eis omnibus, quae ante dicta sunt, quid fieri et quid facile fieri possit, oportet considerare. Facile id dicemus, quod sine magno aut sine ullo labore, sumptu, molestia quam brevissimo tempore confici potest; posse autem fieri, quod quamquam laboris, sumptus, molestiae, longinquitatis indiget atque omnes aut plurimas aut maximas causas habet difficultatis, tamen, his susceptis difficultatibus, confieri atque ad exitum perduci potest.

170. Quoniam ergo de honestate et de utilitate diximus,

---

1. *iunctae*] *vinctae* V, *victae* S^1. 5. *oport.* VS. — *releg.* corr. in *relig.* V. 6. *autem*] Add. C: *aut in nostris rebus*, deleta haec sunt in S. 7. *extrariis* AT, cf. § 177, *contrariis* VP^1S^1 (in S etiam *in* om.), *extraneis* P^2S^2. — *tamen*] *tunc* VSP^1. 8. *revertetur* S^1. 9. *quae* om. VS^1. 10. *incolom.* VS. 11. *alia* ω. 12. *urbs* (*i* s. l. add., *r* corr.) V. 15. *colomes* V, *incolomes* S. 17. *incolom.* (bis) VS. 18. *rata* VS, *tuta* Pω. 19. *adtenenda* VS, *adtinenda* P^1, *optinenda* P^2, *adquirenda* K. 20. *in* om. C. — *his* C. 21. *fieri* Cω, om. K. — *posse* V. — *facile* CK, *facile fieri* ω. — *dicemus* VP^1, *dicimus* P^2S. 24. *sumtus* V. — *longinquitates* V^1. — *atque omnes* VPS^1, *atque aut omnes* S^2ω. — *aut plurimas* Sω, *plurimas* VP. 26. *confieri* S^2 Halm, *conferri* VP^1S^1, *compleri* P^2ω.

nunc restat, ut de eis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine et adfectione, perscribamus. LVII. Puto igitur esse hanc necessitudinem, cui nulla vi resisti potest, quo ea setius id, quod facere potest, perficiat; quae neque mutari neque leniri potest. Atque, ut apertius hoc sit, exemplo licet vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus. Uri posse flamma ligneam materiam necesse est. Animal aliquo tempore interire necesse est; atque ita necesse, ut vis postulat ea, quam modo describebamus, necessitudinis. Huiusmodi necessitudines cum in dicendi rationes incident, recte necessitudines appellabuntur; sin aliquae res accident difficiles, in illa superiore, possitne fieri, quaestione considerabimus. 171. Atque etiam hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adiunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. Nam aliter dicere solemus: Necesse est Casilinenses se dedere Hannibali; aliter autem: Necesse est Casilinum venire in Hannibalis potestatem. Illic, in superiore, adiunctio est haec: nisi si malunt fame perire; si enim id malunt, non est necesse; hoc inferius non item, propterea quod, sive velint Casilinenses se dedere sive famem perpeti atque ita perire, necesse est Casilinum venire in Hannibalis potestatem. Quid igitur haec perficere potest necessitudinis distributio? Prope dicam plurimum, cum locus necessitudinis videbitur incurrere. Nam cum simplex erit necessitudo, nihil erit quod multa dicamus, cum eam nulla ratione lenire possimus; 172. cum autem ita necesse erit, si aliquid effugere aut adipisci velimus, tum adiunctio illa quid habeat

---

1. *his* C. — *adtr.* VS. 2. *aff.* V. 3. *hanc* om. S. — *quo ea ... quod facere* P, *quod fas et ius facere* VS. 4. *potest*] *possunt* S^1 in ras. — *quae* PV^2S, *q;* V^1. — *lenire* V. 5. *exemplo* PK, *exemplo si* VS, *exemplis* ω. 7. *animal* W, *corpus animal mortale* VP^1S, *corpus mortale* $P^2ω$, *animal mortale* Orelli, quam dictionem vix credo Christianorum iram exsuscitaturam fuisse. 8. *describebamus* (*be* et *a* in ras.) V. — *necessitudinis. cui nulla vi resisti potest perficiat quod neque mutari oportebit* VS, *neces. ... potest quo ea secius id quod facere potest perf. quae neque mutari neque leniri potest* P. Deficit hic VS usque ad verba: *modo illud attendatur* p. 147, 29 § 175. Eademne lacuna in P m. 2 expleta sit an ea quae traditur scriptura a priore profecta sit scriptore, hac de re nihil proditum est. 12. *esse*] *etiam* AT. 13. *necessitudinis* AT. 14. *cassilienses* (item v. 18) PAT. 15. *est* om. PAT. — *cassilinum* (item v. 19) PAT. 18. *sive*] *si* AT. 23. *ea* AT. 24. *si*] *ut* P^2. 25. *adipisci aut effugere* AT, ut § 175. — *quid*] *quae* AT.

utilitatis atque honestatis, erit considerandum. Nam si velis attendere, (ita tamen, ut id quaeras, quod conveniat ad usum civitatis,) reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus; pariter autem esse multas res, ad quas similis adiunctio non accedit; quod genus, omnes mortales necesse est interire, sine adiunctione; ut cibo utantur, non necesse est nisi cum illa exceptione: extra quam, si nolint fame perire. 173. Ergo, ut dico, illud, quod adiungitur, semper, cuiusmodi sit, erit considerandum. Nam omni tempore id pertinebit, ut [aut ad honestatem] hoc modo exponenda necessitudo sit: necesse est, si honeste volumus vivere; [aut ad incolumitatem, hoc modo:] necesse est, si incolumes volumus esse, [aut ad commoditatem, hoc modo:] necesse est, si sine incommodo volumus vivere. LVIII. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis; huic proxima incolumitatis; tertia ac levissima commoditatis; quae cum his numquam poterit duabus contendere. 174. Hasce autem inter se saepe necesse est comparari, ut, quamquam praestet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cuius rei certum quoddam praescriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, ut, cum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum, virtute aliquando recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda; cum autem id non potuerit, honestatis. Ita in huiusmodi quoque re, cum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri vel ad condicionem alterius descendere vel in praesentia quiescere atque aliud tempus exspectare oportebit, 175. modo illud attendatur,

1. *atque* PAT, *aut quid* ω. 4. *pariter* M cum Erf. Ern. K, *partim* P^1, *partem* AT, *praeter haec* P^2. 5. *autem esse invenies multas* P^2. — *res*] add. C: *necessitatis,* hoc vero ex Victorini explicatione ortum esse animadvertit Orelli. 6. *Quod genus* Ern., *quod genus ut* C. — *omnes mortales* K, *homines mortales* C. — *necesse est interire* om. P^1AT. 8. *dico* P^1AT, *dixi* P^2ω. 10. *nam ... pertinebit* incl. K. — *ut aut* P, *aut* ω. 10—13. uncos add. Ern. 12. *aut ad incolumitatem hoc modo* om. P^1AT. 13. *aut ad commoditatem hoc modo* om. P^1AT. — *est et si* AT. 16. *iis* P^1. 21. *quod sit ... delibatum* om. P^2. 22. *deliberatum* PAT. — *virtus* P^2 — *aliquando* W, *aliquando industria* PAT, *aliq. et ind.* ω. 25. *videbitur* PAT. 26. *ea* PAT. 29. *oportebit modo*] His verbis

dignane causa videatur ea, quae ad utilitatem pertinebit, quare de magnificentia aut de honestate quicquam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quaeramus, quid sit illud, quod si adipisci aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quae sit adiunctio, ut proinde, uti quaeque res erit, elaboremus et gravissimam quamque causam vehementissime necessariam iudicemus.

176. Adfectio est quaedam ex tempore aut ex negotiorum eventu aut administratione aut hominum studio commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae sint aut plerumque haberi soleant, habendae videantur esse; ut ad hostes transire turpe videtur esse, at non illo animo, quo Ulixes transiit; et pecuniam in mare deicere inutile, at non eo consilio, quo Aristippus fecit. Sunt igitur res quaedam ex tempore et ex consilio, non ex sua natura considerandae; quibus in omnibus, quid tempora petant, quid personis dignum sit, considerandum est et non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est. His ex partibus ad sententiam dicendam locos sumi oportere arbitramur. LIX. 177. Laudes autem et vituperationes ex eis locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare qui volet, partiatur in animum et corpus et extrarias res licebit. Animi est virtus, cuius de partibus paullo ante dictum est; corporis valetudo, dignitas, vires, velocitas; extrariae honos, pecunia, adfinitas, genus, amici, patria, potentia, cetera, quae simili esse in genere intellegentur. Atque in his id, quod in omnia, valere oportebit; contraria quoque, quae et qualia sint, intellegentur. 178. Videre autem in

---

pergit VS. 2. *quicquam* Lamb., *quiddam* C. 5. *uti quaeque*] *utique quae* VS¹. 6. *elaboremus* SchRK, *laboremus* C. 8. *aff.* V. 9. *event|* (i. e. *evento*) V¹, cf. § 123. — *administratio* (*ne* s. l. add.) V. 11. *ad honestes* V¹, *ad honestates* V²S¹. — *transiret* V, *transiretur* S¹. — *turpe* om. VP¹S¹. 12. *videatur* VP¹S. — *at*] *aut* VS. — *transit* V. 13. *deiecere* VS¹. — *quo*] *qui* V. — *fecit* C, *deiecit cadavera* AT, *deiecit* ω. 16. *quid personis* C, *aut quid pers.* S²ω. — *non quod* VS. 17. *quo quid animo* VS¹. 20. *his* C. — *adtr.* VS. 21. *qui* P, *quid* V, *quis* S. — *volunt* P². — *partiantur* P². 22. *et ex contrarias* P. — *animi virtus* (om. *est*) V, *animi virtus est* S. 23. *valetudo* corr. in *validudo* V. 24. *extrariae* P², *extraneae* VP¹S. — *honus* V. — *aff.* VS. 25. *cetera* VS¹P¹, *et cetera* S²P²K. — *cetera quae*] *ceteraq;* VS¹. 26. *ounia*] add. ω: *valet.* 27. *autem*] *h'* VS.

laudando et in vituperando oportebit non tam, quae in corpore aut in extrariis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem et laudare stultitia et vituperare superbia est, animi et laus honesta et vituperatio vehemens est.

Nunc quoniam omne in causae genus argumentandi ratio tradita est, de inventione, prima ac maxima parte rhetoricae, satis dictum videtur. Quare, quoniam et una pars ad exitum hoc ac superiore libro perducta est et hic liber non parum continet litterarum, quae restant, in reliquis dicemus.

---

2. *extrariis* Leid. II, *extraneis* Cω. — *agitur* S. 4. *animi* (sed *A* et *i* extrema corr.) V, *cum* S, *animi autem* Pω. 7. *in deventione* V, *et de inventione* P. 9. *hoc ac*] *hunc ab* C. 10. *dicemus. EXPLICIT* VS. Ex P subscriptio non traditur. *M. TULLII CICERONIS RETHORICORUM LIB. II EXPLICIT* ω.

Typis I. B. Hirschfeldii Lipsiae.

Typis I. B. Hirschfeldii Lipsiae.